689

49661/B

J XXIX

18/s

J. Baart de la Faille
Med. Prof.
GRONINGEN.

5409

Dr. H. B. Semmelink.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b3050935x

45720

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

SIGNORVM GRAVIDITATIS AESTIMATIONE

QVAM

DIVINO AVSPICIO

CONSENTIENTE GRATIOSO MEDICORVM ORDINE

IN ALMA GEORGIA AVGVSTA

PRO

GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS RITE OBTINENDIS

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTIT

AVCTOR

GEORGIVS WILHELMVS STEIN

CASSELLIS HASSVS

D. MARTII A. CIↃIↃCCLX.

GOETTINGAE

LITTERIS SCHVLZIANIS.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

VIRIS

ILLVSTRIBVS, EXCELLENTISSIMIS

ATQVE EXPERIENTISSIMIS

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DOMINI

FRIDERICI II.

LANDGRAVII HASSIAE, PRINCIPIS HERSFELDIAE, COMITIS CATIMELIBOCI, DIEZIAE, ZIEGENHAINII, NIDDAE, SCHAVMBVRGI, HANOVIAE ETC.

AVLAE CONSILIARIIS

MEDICINAE ET CHIRVRGIAE

PROFESSORIBVS

RERVM MEDICARVM ANTISTITIBVS

PER OMNEM LITTERATVM ORBEM

CELEBERRIMIS

PATRONIS OMNI CVLTV PROSEQVENDIS

PRIMITIAS HASCE ACADEMICAS

EA QVA DECET OBSERVANTIA

DICATAS CVPIT

AVCTOR
GEORGIVS WILHELMVS STEIN
CASSELLIS HASSVS.



DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

SIGNORVM GRAVIDITATIS AESTIMATIONE.

Sane multa ſunt, quae Illuſtris atque Excellentiſſimi ROEDERERI praelectionibus, Praeceptoris aeterno mihi pietatis cultu venerandi, debeo ſtudiorum emolumenta. Quare inſtante illo paſſu, quo facienda in Medicina priuilegia & Medicorum honores conſentiente gratioſo Ordine amplexurus ſum, non magis profectuum, quam grati ani-

mi ſpecimen ex perceptis ab Eo doctrinis, propria meditatione elaborare apud animum meum conſtitui.

Equidem non neſcio, qualis ſit hodiernus rerum vſus, & recepta conſuetudo, vt, qui noui nihil nihilque vel inuenti vel inexſpectati habet, de quo agitet, ille parum dixiſſe videatur: Interim aliqualem ſcriptuli vſum aeſtimandum eſſe puto, ordini argumentorum & diſperſorum theſaurorum diſpoſitioni dicati, atque laborem in praeſenti argumento fruſtra non inſumi. Diſcat, qui neſcit, quam multa ſignorum legantur falſa; quanta ſit hypotheſium erronearum ſylua, quantaque ſignorum temporum ratione grauiditatis confuſio. Scitu enim quam maxime neceſſarium eſt, vnum, quod tenemus, ſignum, non per omne grauiditatis tempus valere. Quaedam primis mox a congreſſu horis diebusque foecundum eius arguunt ſucceſſum, quum alia viciſſim ſeriora non niſi ſuis temporibus probare aliquid queant.

Summam eſſe huius cognitionis neceſſitatem ſummamque dignitatem, non eſt, quod dubitemus: Intereſt enim nuptae (*a*), quae prolis deſi-

(*a*) Conf. MAVRICEAV *Maladies des femmes groſſes. L. I C. III. pag. 73. ſeq.*

deſiderio flagrans, ad leuiſſimam grauiditatis notam attendit atque gaudio triumphat, morbo licet nonnunquam abdominali, qualis v. g. hydrops eſt, alioue laboret: quo caſu ipſis etiam Medicis incumbit, vt, niſi veritatem exploratam habeant, in medicamentorum exhibitione cautiſſime agere ſtudeant. Intereſt familiae, parentum, vel etiam tutorum, vt de filiae caſtitate perſuaſi ſint: quin ſunt virgines, quae optant grauiditatem, vel ſaltim eam praetexunt parentibus eo conſilio, vt nubantur illi, a quo ſe compreſſas dicunt; ſiue id eo inſcio & inuito faciant, ſiue eius adhibito conſilio: quo parentes ea re ad concedendas inter eos nuptias, quae alias irritae forent, cogantur (*b*). Porro intereſt iudicis non raro, qui medici aeſtimationem petit de femina capitis damnata, ſuppliciumque grauiditatis praetextu eludente: ſunt tamen feminae, quae carceris pertaeſae grauiditatem negant (*c*); ma-

(*b*) Conf. SCHIMPER Diſſert. *de ſign. gravidit.* §. 29. p. 22.

(*c*) Exempla vid. GVTERMANN *Anatom. für Hebammen:* pag. 37. *Angli She playth her belly.* Ita etiam SCHIMPER Diſſ. *de ſignis grauid.* §. 30. pag. 22. exemplum recenſet Iudaeae, capitis damnatae, quae omni ſtudio & negabat & occultabat ſuam grauiditatem, & peroptabat vna cum foetu interire, quam permittere, vt infans, forte in lucem edendus, chriſtianae religionis ſolennibus innitiaretur.

maxime Medici denique naturae & ſanitatis miniſtri; Quomodo enim hic ſuccurrere poterit, & regimini grauidarum proſpicere, niſi grauiditatem cognoſcat, & de ea certus ſit? Quam ob rem operae pretium viſum fuit, argumentum Medicum frequenter exercens, dilucidandum ſuſcipere.

Verum de ordine rerum maxime ſollicitus, quum alia ſigna impraegnationis poſſibilitatem, alia vero factam conceptionem, alia denique ipſam grauiditatem eiusque ſtatum reſpiciant; non poſſum non, quin omnem tractationem in III. potiſſimum diducam ſectiones, quarum I^ma^ cauſſas notasque ſterilitatis muliebris, II^da^ factae conceptionis ſigna grauiditatisque ſtatum, III^ia^ morbos quosdam grauiditatem mentientes, quos accurata ſymptomatum disquiſitio, quantum id fieri poterit, diiudicabit, conceptus item ſpurios, quibus cum vera grauiditate magna nonnunquam analogia eſt, contineat.

SE-

SECTIO I.

§. I.

Naturalis ordo, quem proſequuturus ſum, ita fert, vt de poſſibilitate conceptionis quaerendum primo mihi videatur. Conceptionem, niſi accedant & ponantur debita requiſita, ne cogitare quidem fas eſt. De ipſo quidem vtriusque ſexus commercio, ad faciendam conceptionem vtique neceſſario, & extra litem poſito, conſtat. Diſſeram ſaltem de illa conceptionis muliebris poſſibilitate quae foecundam feminam requirit; ſiquidem feminam grauidam non eſſe facile perſuademur, quum de ſterilitate eiusdem, ſiue denegata concipiendi facultate certi ſumus. Ne autem ſterilitatis ſtatim accuſentur feminae, quae prole deſtituuntur, tenendum probe, proprie dictam ſterilitatem impotentiam eſſe concipiendi foetumque perficiendi in femina (*d*) debitae

(*d*) HIPPOCRATES *Libro de ſterilibus, vtero non gerentibus*, ait:

bitae aetatis, neque nimis tenerae, neque nimis profectae, & viro alias foecundo vtente, a propria vel organorum genitalium, vel totius corporis laeſa conſtitutione dependentem. Ita huc non pertinent feminae, quae alias per naturam, propter aetatem in alterutro extremo vel infantiae vel ſenectutis verſantur, conceptioni minus aptae ſunt. Neque illae, quae non tam propria, quam alterius vel relatiua culpa prole carent, ſed quae viro ſano coniunctae non concipiunt.

§. II.

Ex dictis facile apparet, cauſam tanti mali ſemper fere in organorum genitalium tam internorum quam externorum, maxime vteri, tanquam praecipuae conceptionis & formationis officinae, laeſa conſtitutione varia latere. Differant licet iſta vitia, maxime interna, ex ſignis quibusdam externis haud facile dignoſcenda;

con-

ait: „*iſtiusmodi feminas fructum nunquam in vtero* „*gerere.*

conueniunt tamen, quod generationi deſtinatum viſcus, vterum partesque annexas, vel idiopathico vel ſympathico modo varie afficiant, & vnum eundemque ſemper effectum, denegatam nempe conceptionem, exſerant. Notanter dixi, ſegregatas non vno modo infoecunditatis cauſſas eſſe, idque tam ratione loci, quam indolis. Hoc enim nomine genitalia nonnunquam occupant, quae dicuntur interna, vnde ſterilitas idiopathica, abſoluta, occulta, vix ac ne vix quidem ſanabilis, per omnem aetatem vigens, oritur. Aliae viciſſim ſedem ſuam figunt in genitalibus externis, quae, quamuis itidem ſterilitatem non raro inducant abſolutam modo idiopathico, tamen apertae magis ſunt, & quoad maximam partem conſpicuae arteque ſuperandae. In reliquis denique prorſus ſingularibus nihil peccat in genitalium organiſmo, ſed habitus ſaltem debito, i. e. ſano & naturali reſpondens deſideratur, vterique inprimis intemperies ex totius corporis ana-

analogiſmo culpanda venit (*e*). Inde eſt, vt triplicis generis tam occulta, quam aperta vitia occurant: omnia vero eo redeunt, vt vel primae conformationi non ſanabili debeantur, vel chirurgiam ſpectent, vel morbis, quos medici vnice curant, adnumerari poſſint.

§. III.

Protinus itaque dicam de feminis eunuchis, ſeu quae a prima natiuitate praecipuo generationis apparatu, vtero (*f*), vel ouariis (*g*) carent. Quae

(*e*) Quales cauſſas Medicorum Parens HIPPOCRATES Sect. V. aphor. 62. intellectas videtur his verbis: „*Quae frigidos ac denſos habent vteros, non concipiunt, & quae perhumidos habent vteros, non concipiunt; extinguitur enim ipſis genitura: Et quae ſiccos* (plus aequo) *& adurentes: alimenti enim inopia ſemen corrumpitur: Quae vero ex vtriusque moderatam nactae ſunt temperiem, hae ipſae proliferae euadunt.*

(*f*) Conf. COLVMB. *de re anatom. Lib.* XV. *pag.* 495.

(*g*) de quo defectu obſeruationes anatomicae leguntur apud COLVMB. *anat. libr.* XV. RIOLAN. *anat. Cap.* XXXV. DALECHAMPIVM *in not. ad Libr.* XVII. *Athen.* apud SCHENCK. VESAL. RIVER. & BONET. paſſim.

Quae tam enormi vitio laborant calamitoſae, omnem ſine dubio renunciant procreandi ſpem, neque eſt, vt vnquam ipſis tantum reparetur infortunium. Pari cum illis paſſu ambulant, & pro abſolute ſterilibus habendae ſunt, quibus tubae (*b*) Fallopianae dictae in vterum penitus non ſunt apertae, ſeu aliunde nimis anguſtae & adſtrictae. Ita hac hyeme in theatro anatomico apud Illuſtrem & Excellentiſſimum ROEDERERVM vidi vterum, cuius tubae vtrinque verſus ouaria clauſae erant, coalitis fimbriis. Neque difficilis ratio eſt: ſiquidem ex ouario aliquid per

(*b*) quale quid prae caeteris accurratius obſeruauit RVYSCHIVS & annotauit *obſeru. anat.* LXXXIII. *pag.* 108. *ſeq.* vbi tubas Fallopianas ſumme extenſas & in extremitatibus ſuis occaecatas depingit, addita obſeruatione, *tubarum Fallopianarum clauſuram haud infimam ſterilitatis cauſam habendam eſſe.* Et STALPART VAN DER WIEL *Obſ. rar. Cent. poſter. Obſ.* 28. *Sch. pag.* 303. imperuias adeo tubas vidiſſe, vt ne leuiſſimus quidem flatus illas transiret, refert. Icone etiam exhibuit hoc vitium REGNERVS DE GRAAF. *Tab.* 19. fig. 3.

per dictam illam tubam ſeu oui ductum in vterum vt aſcendat, neceſſe eſt, quare deſiderata hac via, vel vt tranſire poſſit minus apta, non poteſt non denegari conceptio: Eo minori etiam fructu aliquis huic adeo graui & abſcondito vitio mederi ſtuderet, quo minus ex ſignis quibusdam externis tanti mali cauſa dignoſci poteſt. Fit porro, vt ſeminalium veſicularum ſtructura aberret, aut membranaciori i. e. compactiori vel carnoſiori obuelata velamento (*i*), vel ipſis ouis craſſioribus cinctis tunicis (*k*). Non tangam vaſorum ſpermaticorum defectum (*l*), exilitatem (*m*), obſtructionem, coalitum (*n*), paucitatem & quae ſunt alia.

§. IV.

(*i*) Conf. DIONIS *Traité general des accouchemens Lib.* I. C. VII. *pag.* 67.

(*k*) vid. GARMANNI diſſertat. *de ovo humano-cygneae* 691.

(*l*) Conf. THEODOR. CRAANEN. Tract. *de homine cap.* 162.

(*m*) Conf. VESLINGIVS & GRAAFIVS.

(*n*) Conf. FRANCISCI DE LE BOE SYLVII *prax. med. Lib.* 3. *Cap.* 3. *§pho.* 10.

§. IV.

Sequuntur vitia exterius magis locata, explorationi apta, circa vteri orificium & vaginam occurrentia. Etenim vt per vaginam in vterum virile ſemen deferatur, atque ita conceptionis myſterium inchoetur, vias haud praecluſas eſſe debere, cuilibet facile erit perſpectu; Denegatur adeo illis concipiendi facultas, quarum rima orificii vterini transuerſa vel in ſitu tortuoſo aut peruerſo locatur (*o*); vel magnitudine & hiatu tum iuſto minori tum ſuperante (*p*) peccat. Priori enim caſu ſemen non recipitur, atque altero minus firmatur. Interim his ipſis impraegnatio ſubinde contingit, ſiquidem ſunt, qui cognita vitii in orificio vterino cauſa, coniugis ſitum accommodatum ſuadent, quo ſemen verſus orificium exacte eiaculetur (*q*).

§. V.

(*o*) Conf. MAVRICEAV *Maladies des femmes groſſes Lib.* I. *C.* I. *pag.* 61.

(*p*) de quibus HIPPOCRATES *Lib. de Natur. Mulieb. & Lib. de ſterilibus.*

(*q*) vid. DIONIS *Traité general des accouchemens Lib.* I. *C.* VII. *pag.* 68.

§. V.

Praeter ea cum viis clauſis non poſſit non iuncta eſſe ſterilitas, ineptas ad ſobolis procreationem eſſe feminas atretas, ſeu quae dicuntur imperforatae (*r*), facile patet. Et hoc quidem vitium, teſte experientia, commune eſſe maribus & feminis poteſt, ita vt vtriusque ſexus infantibus recens natis anus aliquando ſit imperforatus, aut paruulis vrethra hoc modo in extima parte, vbi glandem perforat, membranula ſit clauſa, de quibus paſſim in Ephemeridibus Naturae curioſorum exſtant obſeruationes: interim proprie hic loci imperforatio ad feminas per-

68. & *pag.* 70. vbi ſingularem eius rei habet obſeruationem his verbis: „HENRY II. *fut pluſieurs années marié* „*avec Catharine de Medicis*, *ſans avoir des enfans. Le* „*Roi conſulta* FERNEL *ſon premier Medecin*, *qui apres* „*avoir examiné d'ou venoit le defaut*, *lui enſeigna la po-* „*ſture dont il ſe devoit ſervir en careſſant la Reine*, *qui en* „*eut ſept tout de ſuite.*

(*r*) Imperforatarum exempla & obſeruationes congeſſit SCHENCK. *Lib.* 4. *Obſerv. med. Obſ.* 12. 13 & 14.

pertinet, & dicitur ATRESIA illud vitii genus, quo medio quodam intercedente obſtaculo vtcunque aditus, qui inter genitalia externa & interna eſſe debet, & ſeminis per vaginam in vterum acceſſus intercipitur. Eſt autem imperforatio duplex: alia integra, alia ex parte ſaltem vias claudens; atque vtraque iterum vel congenita, vel ex morbo quodam chirurgico, vulnere, vlcere, tumore alioue infortunio, vt partu difficili & laborioſo, oborta. Ceterum ipſi imperforationis modi varii ſunt: Aliis interius orificium vteri ex conformationis errore ita clauditur, vt ne veſtigium quidem rimae transuerſalis appareat, ſed haec ita concreta ſit, vt cauum quaſi coecum vterus referat. Hae ſunt, quae concubitum quidem admittunt, ſed fruſtraneum, nullo enim modo concipere poſſunt, niſi accedat operatio chirurgica, admodum difficilis hoc caſu. Deberi haec primae prauaeque conformationi, ſi experientiis & obſeruationibus (*s*) ſua fides

(*s*) Natas enim nonnullas eſſe imperforatas recenſet FABRIC. HILD.

fides non eſt neganda, in dubium vocari nequit. Interim tenera adhuc aetate primisque a natiuitate annis non protinus eiusmodi apparent, ſed demum pubertatis vt plurimum termino, quo menſtrua pati incipiunt. Tunc enim molíminibus menſtruorum accedentibus ex plethora illa particulari ad peluim varia oriuntur ſymptomata morboſa, eademque ſubinde vehementia. Colligitur enim ſanguis abundans, qui ſueto more eliminari nequit, in vtero, cum abdominis duritie & expanſione, vt hoc nomine grauiditatem nonnunquam talia mentiantur (*t*); ſuperueniunt

HILD. *Lib. Obſ. chir. Cent. II. Obſ. 60. & 61. pag. 244. ſeq.* it. DAN. SENNERTVS *inſtitut. med. Lib. 5. P. I. Sect. 2. cap. 7.* quod & teſtatur PLINIVS *Hiſtor Natur. Lib. 7. cap. 16. fol. 110.* Puellae IV. annorum exemplum narrat SIM. SCHVLZIVS *in Ephem. germ. D. I. an. III. Obſ. 3. pag. 5.* & MAVRICEAV duarum, virginis XVII & puellae IV annorum, in qua vero operationem in profectiorem aetatem diſtulit, mentionem facit *Tom. I. Lib. I. cap. I. pag. 60.*

(*t*) Hoc argumentum illuſtrari poteſt hiſtoria a IOH. MVRALTO

niunt porro, praeter iam memorata, praeſertim cum temporis mora haec omnia poſſit exaſperare (ſiquidem ipſa eiusmodi arcana muliebria ſatis ingenioſe celare ſaepius ſtudent), ex laeſa digeſtione, borborygmi & crepitus ventris, appetitus irregularis vel deprauatus, nauſea, vomitus; inde mammarum tumor, ſpasmi, varia incommoda hyſterica, affectus conuulſiui, (qualia itidem fere ſunt ſymptomata in illis, quae ob corporis conſtitutionem morboſam ſuppreſſione menſium laborant) quin imo ipſa tandem miſera mors; cuiusmodi triſte exemplum inter alios

 refert

TO *in Ephem. germ. D. II. an. III. Obſ. 151. pag. 296.* recenſita; „*Octodecim annorum virginis imperforatae, quae*
„*tumore in pudendis laborabat inſigni, cum retentione &*
„*ardore vrinae, ventris duritie circa vmbilicum, & ex-*
„*panſione ad pubem vsque, conatibus pariendi, vt de im-*
„*praegnatione nulli dubitarent; ſed re propius perſpecta,*
„*mox tumoris cum pudendorum labiis vndique cohaeſio, flu-*
„*ctuatio retenti ſanguinis alia docuerunt, & facta demum*
„*operatio omnem virginis periclitantis pudicitiam vindica-*
„*vit.* Analogam fere morbi hiſtoriam atretae cuiusdam refert FABRIC. AB AQVAPENDENTE *in oper. chir. pag. 279.*

refert CASPARVS BAVHINVS (*v*), qui fruſtra applicato cauterio potentiali, totum, cum vita defuncta eſſet matrona nobilis, vterum ſanguine grumoſo & atro plenum inuenit. Aliis idem orificium membranula obtegitur (*x*), quae pariter imperforationem patiuntur integram, neque, niſi chirurgica opem ferat medela, vnquam concipiendi facultate praeditas fore, aeſtimandae ſunt, recenſitis ſymptomatibus pariter obnoxiae. Operatio hoc caſu facilior multo, quam qui-

(*v*) *in Theatr. anatom. Lib. I. Cap. 39. pag. 133.*

(*x*) Conf. Cel. GEORG. HENR. EISENMANN *Tabul. anat. IV. de vtero duplici* in explicatione *Tabulae III.* ſub *litt.* (*o*) vbi eiusmodi, praeter alia curioſa, membranam ſatis craſſam, extremitatem ceruicis vteri, qua in fundum vteri aperitur, inſtar valuulae obturantem, in femina quinquagenaria, partum nunquam paſſa, ſe obſeruaſſe teſtatur, vt ante ceruicis diſſectionem omnis in cauum fundi vteri tranſitus denegaretur MAVRICEAV *Tom. II. Obſ. 231. p. 189. & Obſ. 495. pag.* 409. plura exempla vna cum operationibus vid. apud HIER. FABRIC. AB AQVAPEND. *oper. chir. pag. 278.* IOH. ANDREAS A CRVCE *offic. Aur. Lib. 5. cap.* 47. HENR. VAN ROONHVYSEN *Obſeru. part. I. pag. 102. & 103.* PAVL. BARBETTE *chir. part. I. cap. 13.*

quidem priori eſt. Denique imperforatae integrae ſunt, quibus hymen non perforatus ex toto obducit vaginam, ſicque tum menſtruis, tum membro virili viam praecludit (*y*). Quodſi igitur hoc incommodo, onere famoſo aeque ac commendabili, grauetur quaedam, neque alia quacunque ratione, vel ipſa viri cohabitatione, perforetur hymen (*z*), illud vitium inciſionem poſcit cruciatam, operationem facilem, &, ne coaleſcant iterum continui ſolutiones, turundae applicationem. Quod attinet alteram imperforationis

(*y*) Conf. ſupra not. (*t*). DILLENIVS etiam in *Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent. VII. Obſeru. 43. pag. 89.* de puella ſesquienni habet, cui membrana hymen totam vaginam occluderat. In puella octo nata annos IOH. SCHMIED in *Ephem. germ. D. I. an. III. Obſ. 124. pag. 198. & an. IV. & V. Obſ. 157. pag. 199.* totum pudendum membrana inuenit obuolutum, relicto ſaltem minutiſſimo foramine.

(*z*) Id quod referente FABRICIO AB AQVAPENDENTE *in oper. chir. fol. 278.* non potuit praeſtari, quum accidit cuidam pediſſequae, quam multi ſcholares fruſtra tentauerunt deflorare.

rationis ſpeciem, quae ex parte ſaltem contingit, de illa, ſiquidem vt plurimum a partium laeſione oritur, mox aptiori loco verba faciam.

§. VI.

Superſunt aliae quaedam cauſae, quibus haud minus ſterilitas adſtringitur, chirurgiam magis ſpectantes. Conſona haec vitia localia ſunt cum prioribus, atque adeo tum partes impraegnationi dicatas, ouaria, tubas, tum conceptus prouinciam, vterum, varie afficiunt, tum denique in exteriori genitalium ambitu locantur: vnde eſt, vt aliis alia ſint occultiora, alia vero ſenſibus vſurpanda. Satis nempe compertum habent artis periti, vix aliquid, quin conceptionis ſtatim ſequantur turbae, in tubis Fallopianis mutati contingere debere: Quare foecundae eſſe nequeunt, quibus, obſeruante DOLAEO, callo quacunque ratione oborto obſtructae ſunt illae tubae (*a*), ſeu quibus calculus quidam in tubis alicubi

(*a*) ſe aperuiſſe feminam ſterilem, ait, *cuius tubae callo obſitae erant*; *in Encyclop. Lib. 5. cap. 5.*

cubi haeret (*b*). Idem ſane naſcitur effectus, qui a tubis ex prima conformatione imperuiis. Miſſis reliquis, ex quibus a cauſa externa, vt abdominis contuſionibus, onerum ponderoſorum geſtationibus, lapſu ab alto, omnibusque in genere exceſſiuis motibus, & quae ſunt ſimilia, hae partes vitium capere poſſunt, liceat hic ſaltem pauca enumerare. Tubae Fallopii hydropem dari, compertum eſt (*c*), quamuis valde rarus morbus ſit: frequentius enim multo ipſa ouaria hoc morbo (*d*), cum variis vitiis, nonnunquam ad inſignem ſatis molem vsque (*e*) & interdum

(*b*) quin aliam, *in qua tubas a calculo obſtructas inuenit*, prouti refert *loc. cit.*

(*c*) Notauit hunc morbum BLEGNII *Zod. med. gall. an. 80. pag.* 60. & BRECHTFELD *in Act. Hafn. an.* 72. *pag.* 194. qualem etiam morbum in ouariis & tubarum fimbriis obſeruauit & depinxit RVYSCHIVS in *obſeru. anat. chirurg. Obſ.* 83. *pag.* 109.

(*d*) de quo VESLINGIVS habet in *ſyntagm. anat. Cap. VIII.* inſigniora etiam huius morbi exempla apud BONETVM *in ſepulchreto* collecta legi merentur.

(*e*) qualis ouarii hydropici elegantem habet figuram Ill. ALB. de HALLER *faſc.* I. *icon. anat. Tab. III. fig. I.*

interdum cum aſcite coniunctim tentantur, vt mirum profecto ſit, cum in ſtatu naturali ſatis paruae molis ſit ouarium (*f*), minorisque in eo concluſa ouula, in tantam ſub morboſo ſtatu vaſtitatem excreſcere poſſe hydropicum (*g*), ſed tantus eſt in eruendis huius morbi ſimiliumque adeo latentium ſignis diagnoſticis labyrinthus, quanta eſt ipſius medicationis difficultas. Similem morbum aemulantur interdum ſic dictae hy-

(*f*) Haec tamen ouariorum magnitudo neque conſtans neque omnibus eadem eſt; ſed pro indiuiduorum diuerſitate modo maiora modo minora obſeruantur ouaria: etenim REGN. de GRAAF de *organ. mulieb. Cap.* 12. „*maximam vero*, ait, *in iis mutationem facit aetas & coitus, in iunioribus namque animalibus minima ſunt, ac in profectioribus maiora euadunt.* Speciatim de varia ouariorum mole conferri merentur Ill. ROEDERERI *Vteri humani icones*, nominatim *dimenſionum ouarii tabula.*

(*g*) Conf. BONETVS *loc. cit.* SCHENCK *Lib.* 4. *Obſ. med.* & MAVRICEAV *Tom. I. Cap. II. pag.* 11. ſe ſiniſtrum ſpeciatim ouarium mole hominis caput ſuperans, XV librarum pondere in femina quadam vita exſtincta inueniſſe teſtatur, quam eandem obſeruationem curatius expoſuit *Tom. II. Obſeruations ſur la groſſeſſe* &c. *Obſ.* 383. *pag.* 318.

hydatides (*h*), quae ſunt folliculi, lympha ſcatentes, ex ouariis vicinisque partibus pendentes, & ouulorum ſpecie imperitos fallentes, quales frequenter in theatro anatomico Gottingenſi vidi: fit enim, vt in ingentem aliquando excreſcant molem, & ipſis ouulis fraudi ſint, ſterilitatemque pariant. Denique ouaria nonnunquam ſcirrhis (*i*) laborant, ſiue ex culpa iam praeſentis ſcirrhi in eorundem vicinia enati malum oriatur, in mali conſortium tractis ouariis, exſiccata ſubſtantia, & turgentibus alias veſiculis, ſucco nunc deſtitutis; ſiue ex propria quadam diſpoſitione, orta quacunque inflammatione, non reſoluta, neque in vlcus mutata, hoc malo vnum

(*h*) Conf. REGNERVS de GRAAF *Lib. cit. cap.* 12. *pag.* 301. IOH. MVRALTVS *Colleg. anat. Lect.* 2. *pag.* 182. & NENTERVS *in phyſiol. cap.* 2. *pag.* 44. *ſeq.*

(*i*) ita dextrum ouarium ſcirrhoſum vidit OTHO HEVRNIVS *Obſ. med. hiſtor.* 8. *pag.* 13. Steatomaticum aliud GOTHOFR. KLAVNIGIVS in *Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent.* VII. & VIII. *Obſ.* 64. *pag.* 141. obſeruauit.

num alterumue afficiatur ouarium, quo caſu, pro rerum euphoria foecunda nonnunquam perficitur conceptio, ſaepius vero, conſpirantibus praeſertim aliis morborum vexis, illius ſpes elumbis vellicatur.

§. VII.

De vteri porro vitiis dicturus, praeterire non poſſum illud principis medicorum HIPPOCRATIS effatum (*k*), qui pinguiores feminas negat eſſe foecundas: ſed errant, qui creduli harumque partium anatomes haud gnari, nimis huic indulgent aſſerto, & cum aliis (*l*) potiſſimum omenti craſſitiem, quae vteri orificium premat, & hanc ob cauſam liberum virilis ſpermatis tranſitum deneget, in culpa habent, vel cum

(*k*) quod legitur *Sect.* V. *aphor.* 46. his verbis: „*Quae praeter* „*naturam craſſae exiſtentes*, *non concipiunt in vtero*, *his* „*omentum os vteri comprimit*, *&*, *priusquam attenuentur*, „*praegnantes non fiunt*".

(*l*) quale quid intellexiſſe videtur PANAROLVS *Obſ. med. Pentecoſt.* III. *Obſ.* 10. vbi eiusmodi exemplum feminae cuiusdam ceterum quoad omnem corporis habitum ſanae profert.

cum aliis ob nimiam pinguedinis copiam, circa haec loca ſpeciatim vteri orificium collectam, concipiendi impedimentum inepte deriuent *(m)*; ſiquidem nihil ſubſtantiae pinguedinis vllo modo ſimilis per anatomen ibidem locorum detegere valemus, & ſi raro forſan huius pinguedinis aliquid ibi locetur, pauca tamen eſt, adeoque mollis, vt obſtaculo vix eſſe queat.

§. VIII.

Fide digniora multo ſunt alia ſterilitatis intuitu, quae de vteri morbis dici poſſunt, ita vt dubium mihi non reſtet, certiſſime illas foecundi ſeminis vim non percipere, quibus vel ex parte vel totus vterus ſcirrhoſus *(n)* eſt: quomodo enim

(m) Conf. DIONIS *Traité general des accouchemens Lib. I. Cap. VII. pag. pag.* 69.

(n) de quo morbo Ill. ROEDERERVS pro more, id eſt ingenioſe expoſuit in peculiari diſſertatione *de vteri ſcirrho*, hic Gottingae habita an. 1755. Eidem cauſae feminarum aetate profectiorum ſterilitas naturalis adſcribi debet. Conf. Ill.

enim vterus obſtructus, durus, ſteatomaticus (*o*), cartilagineus (*p*), quin lapideus fere (*q*) conceptionem pati, fouere, nutrire illam atque continere poteſt, quum tamen ad munera haec fungenda

Ill. ROEDERERI *Icon. vteri grauidi.* Ita & GERARD. BLAS. *Obſ. med. part.* I. *Obſ.* 7. *pag.* 12. ſeptuaginta annorum virginis mentionem fecit, cuius vterus octodecim librarum pondere pinguedinem referebat cartilagineam. Scirrhoſum teterrimi odoris pure repletum TVDECIVS notat in *Ephem. germ.* D. I. *an.* IX. & X. *Obſ.* 176. & MAVRICIVS HOFFMANNVS in *Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent.* VII. & VIII. *Obſ.* 127. *pag.* 296. & *ibid.* ANDR. VSENBERZIVS *Cent. IX. & X. Obſ.* 31. *p.* 65. de vtero toto duro in ſubſtantia & ſcirrhoſo vid. *Act. med. Berolin. Decad. II. Vol.* 4. *pag.* 71. totum ſcirrhoſum, vt cultro, quamuis acutiſſimo nonniſi vi diſcindi potuerit, SIM. SCHVLZIVS refert in *Ephem. germ. D.* I. *an.* II. *Obſ.* 60. bina adhuc ſimilia fere exempla notauit DETHARDING in *Ephem. germ.* D. III. *an.* VII. & VIII. *append pag.* 69. *ſeq.*

(*o*) Cuius obſeruationem habet IOH. TACKIVS in *Ephem. germ.* D. III. *an.* VII. & VIII. *Obſ.* 152. *pag.* 274.

(*p*) Ipſius vteri ſubſtantiam totam cartilagineam refert CNOEFFELIVS in *Ephem. germ.* D. I. *an.* IV. & V. *Obſ.* 57.

(*q*) referente SCHENCK *Obſ. med. Lib.* 4. *pag.* 608. & GEORG. HORSTIO *in oper. Tom.* II. *Lib.* 2. *Obſ.* 2. *pag.* 522.

genda corpus vteri requiratur abſolute ſpongioſum cedensque. Frequens interim malum eſt, & plerumque ab vteri inflammatione (*r*), quacunque ratione, vel ex partu difficili & frequentiori abortu (*s*), corruptis conceptionibus (*t*), vel alia vteri laeſione cauſata ortum ducit. Neque vero integrum ſemper vteri corpus graui hoc vitio laborat; nunc enim vnam alteramue partem, nunc fundum, ceruicem aliumue locum occupat (*u*). Praeterea facile erit perſpectu, tan-

(*r*) teſtante PAVLO AEGINETA *de re medica Lib. III. cap. 68.* „*in ſcirrhum induratur vterus, aliquando derepente,* „*nulla praegreſſa cauſſa: plerumque vero inflammatione* „*praegreſſa, & neque ſoluta, neque in abſceſſum transmutata.*

(*s*) quorum ſcirrhorum meminit MAVRICEAV *Tom. I. Lib. III. Cap. XII.*

(*t*) qualem vterum ſubſtantiae partim ſcirrhoſae, partim glanduloſae, putrida & nigricante materia repletum ex corrupta conceptione vidit REGNERVS de GRAAF in *Ephem. germ.* D. I. *an.* I. *Obſ.* 128.

(*u*) de ſcirrho inſignis magnitudinis, a fundo vteri incipiente, & ad os vteri deſinente conſ. GEORG. HORSTIVS *in oper. Tom. II. Lib.* 2. *Obſ.* 5. *pag.* 62.

tantam cauſam non ſine aliorum grauium ſymptomatum, menſtruorum imprimis variarum turbarum (*x*), eſſe conſortio. Obſeruationum huc ſpectantium ſylua fere eſt, neque diſſentiunt in eo auctores, quod hisce praeſentibus, iuncta eſſe nequeat concipiendi aptitudo (*y*); eoque minus in hoc argumento dubii haeremus, quum ipſa HIPPOCRATIS auctoritate haec omnia ſuffulciantur (*z*). Quod demum reſpicit huius morbi tam diagnoſin quam prognoſin, qualis accommodata ſit medicatio, qualis iuſtus mercuriali-

um

(*x*) de quibus apud HIPPOCRATEM *Lib. de ſuperfoetatione* §. 13. & *de natur. muliebri S. II.* §. 30. 31. & alibi paſſim.

(*y*) impeditae ex ſcirrho vteri conceptionis mentionem fecerunt FABRIC. HILDAN. *Obſ. chir. Cent.* I. *Obſ. 65. & 66. pag.* 57. BARTHOLINVS *Cap.* II. *hiſtor.* 60. RHODIVS *Obſ. med. Cent. V. Obſ. 65.* & caſum habet MAVRICEAV *Tom. II. Obſ.* 387. *pag.* 321.

(*z*) *de natur. mulieb. loc. cit.* „*ſi indurati fuerint vteri, non* „*concipit.* & paſſim de *morbis mul.* ſpectant huc etiam MAVRICEAV *Obſeruationes Tom. II.* 387 & 418. vtrobique enim poſt partum difficilem obſtructio vteri ſcirrhoſa ſterilitatem peperit.

um vſus, haec omnia atque alia melius ex laudada de vteri ſcirrho diſſertatione addiſcuntur.

§. IX.

Graues etiam morbi vteri hydrops (*a*) & tympania (*b*) ſunt. Vteri verus hydrops datur omnino (*c*), ſed ſatis rarus eſt, atque periodicus, vt vel in cauo vteri, vel ſpongioſa ſubſtantia aqua colligatur, & retenta ſpasmo oris vteri per interualla, non raro menſtruis ſimilia, his interdum periodis euacuetur, interdum vero per inſigne temporis ſpatium contineatur, & grauidi-

(*a*) de vteri hydrope propoſuit KERKRING. *lib. cit. Obſeru.* 10. ex TVLPIO, vbi vtrumque vteri cornu nouem circiter aquae purisque libras continuerat.

(*b*) cuius morbi bini exſtant caſus in *Act. Hafn. Vol. II. Obſ.* 43. *pag.* 136. Conf. etiam *Ephem. germ.* D. II. *an.* V. *Append. pag.* 57. & MAVRICEAV *Tom. II. Obſ.* 105. *pag.* 87. & *Obſ.* 110. *pag.* 90.

(*c*) ſic Auguſtae in mulieris textricis vtero aquae poſt mortem vna cum multis peritis ſupra ſexaginta menſuras auguſtanas reperit ANDR. VESALIVS, nullibi circa inteſtina praeſente aqua, neque oedematoſo in pedibus manibusue tumore. vid. *eiusd. Anat. Lib. V. cap.* 9. *pag.* 394.

-viditatis ſimulacris & peritiſſimos ſaepe (*d*) decipiat. Tympanitis nomine intellectum volo morbum chronicum, quo abdomen ſpaſtice tumet, & percuſſum ſonitum edit, cuius ſedes tam in inteſtinis, quam in ipſo cauo abdominis atque vteri eſt: hinc, quia vt plurimum cum vteri ouariorumque vitiis ſympathicis coniunctus eſt, vno alteroue horum afflicta ad concipiendum vix valet.

§. X.

Neque minori iure ſteriles habendae ſunt, quae vteri (*e*) vel vaginae vlceribus (*f*) laborant; qui-

(*d*) fatente ipſo DE LA MOTTE *Traité complet des accouchemens Lib. I. Obſ. 16. pag. 42.* qualem caſum etiam habet BONETVS *in ſepulchret. Lib. III. Sect. 21. Obſ. 55. pag. 1140.* & ſimilia multa ſub grauiditatis larua annotuuit *ibid. pag. 1130. ſeq.*

(*e*) Cuius notatu digna exſtat relatio in *Ephem. germ.* D. III. *an. IX & X. Obſ. 154. pag. 280.* ita & vteri ceruicis vlcus in muliere iuuencula & ſterili obſeruauit FELIX PLATERVS *Obſ. Lib. II. pag.* 480 & *pag.* 476. vlceris vteri & veſicae ceruicis exemplum refert. de vtero inflammato ex furore vterino, quae inflammatio ad tubas & ouaria tranſiit vid. *Ephem. germ. D. III. an. Vet. VI. Obſ. 124. pag. 253.*

(*f*) qualis vlceris in vagina virginis hiſtoria atque ſanatio exſtat in *Commerc. Litt. Nor. an.* 1731. *ſpecim. VI. pag. 43.*

quibus polypus alicubi genitalium haeret (*g*); quibus obſtaculum eſt omnis alius tumor (*h*), fungus circa vteri cercicem excreſcens (*i*) & ſarcoma (*k*) totum vaginae ambitum occupans, foraſque propendens (*l*); caro excreſcens (*m*), maxime

(*g*) cuius polypi vterini carnoſi meminit RVYSCHIVS *lib. cit. Obſ. 6. pag. 12. ſeq.* quem aquae ac alios RVYSCHIVS *ibid.* delineauit. de polypo exiguo in cauitate circa vteri fundum reperto conf. *Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent. IX. & X. pag. 509. & 517.*

(*h*) vid. FABRIC. HILD. *loc. cit.* & MAVRICEAV *Tom. I. Lib. I. cap. XXV. p. 181.*

(*i*) Conf. TVLPIVS *Lib. III. Obſ. med. cap. 33. pag. 247. & cap. ſeq. pag. 251.* & KERKRING *ſpecileg. anat. Obſ. 53. pag. 113. ſeq. & Ephem. germ. D. I. an. II. Obſ. 121. pag. 199. & ibid.* D. *II. an. II. Obſ. 176. pag. 413.*

(*k*) differunt ſarcomata a fungis ratione magnitudinis, & apud CELSVM *Libr. VI. cap. 18. no. 11.* vno nomine fungorum veniunt.

(*l*) de quibus KERKRING *ſpecileg. anat. Obſ. 53.* BONET. *anat. pract. Lib. III. S. 22. Obſ.* 7. MEEKREN *Obſeru. med. chir. cap. 54.*

(*m*) cuius hiſtoria refertur a CASP. THEOPH. BIERLINGIO *in Ephem. germ. D. I. an. II. Obſ. 208. pag. 310.* de excreſcentia, vteri

me carcinodes; clitoridis prominentia maior (*n*) & monſtroſa, quaeque eius generis alia ſunt. Facile quisque, qui horum iuncta ſymptomata, & ea, quae inde enaſci poſſunt, recte ponderat, perſuaſus erit, omnem hisce ſub vitiis localibus, frequentiſſime ſaltem, denegari conceptionem; vel enim mali vis, & indoles maligna, vel morbus comes, & hinc vtrumque ſymptomatum conſortium, foecunditatem recuſant, vel & genitalium eo vsque, vt inſequatur conceptio, commercium fieri nequit, quin atrocismi dolores ſummique oriantur cruciatus. Non omnem quidem haec mala chirurgica curationem reſpuunt, interim, quamuis ſanetur vel tumor, vel vlcus &c. frequentiſſime tamen contingit, vt aliud ſuperſit incommodum, vnde olim denegetur conceptio, prouti memorabile refert exemplum DE LA MOTTE in obſeruatione quadam, vbi per abſceſſum

vteri prolapſum mentiente, obſeruationem refert THOM. BARTHOLINVS *Hiſtor. anat. Cent. II. hiſtor. 58. pag. 239.*

(*n*) cuiusmodi ſteriles annotatae habentur apud PLATERVM *Obſ. 6.* & TVLPIVM *Obſ. med. Libr. III.*

ſceſſum in latere orificii vteri interni, facta cicatrice, in oppoſitum latus diſtortus fuit naturalis orificii ſitus.

§. XI.

Laeſiones praeterea partium genitalium, vteri vulnera (*o*), quin eius amputatio (*p*), non poſſunt non ſteriles reddere feminas. Superſunt laeſiones, quae ſine omni culpa obſtetricantis a partu difficili ſaepenumero & laborioſo partibus genitalium vtriusque generis detrimento iunguntur. Rarum ſcilicet non eſt, feminam partum perquam difficilem paſſam & ſuperſtitem, variis, genitalium habitum mutantibus, malis affici (*q*), cuiusmodi ſpeciatim laeſiones vteri ceruici, ori-

 ficio

(*o*) Conf. *Ephem. germ. D. I. an. IX. & X. Obſ. 65. pag.* 155. adiecta ſimul curatione & *Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent. V. Obſ. 56. pag. 87. ſeq.*

(*p*) Vteri reſecti caſus refertur a GEORG. VOLKAMERO *in Ephem. germ. D. I. an. VII. & VIII. Obſ. 73. pag. 102.* it. conf. LVD. MICH. DIETERICHS *Rede von einem wahren Vorfall und darauf glücklich unternommenen Abſetzung der Gebähr-Mutter. Regenſp. 1745.*

(*q*) Conf. MAVRICEAV *Tom. I. Lib. III. cap. VIII. pag. 400. ſeq. & Tom. II.* paſſim exſtant obſeruationes.

ficio atque vaginae contingunt, quibus ſit, vt laceratae partium fibrae vel totae concreſcant, vel productis laciniis, relictisque hiatibus iungantur, atque adeo vel integra (*r*), vel partialis ſaltem oriatur imperforatio (*ſ*). Prophylaxis huius mali cannula amplior multiforis eſt, quae quippe nouos coalitus optime praecauet.

§. XII.

Sed futurae vel conceptionis vel ſterilitatis reſpectu diſpiciendum, qualis ſit viarum naturalium clauſura? quodſi enim atreſia orta eſt integra, alia non eſt aeſtimatio, quam quae ſuperius tradita: ſin vero quoad partem facta, futuram, teſtantibus obſeruationibus (*t*) & experientia

(*r*) Conf. FABRIC. HILDAN. *Lib. Obſ. chir. Cent. VI. Obſ. 67. pag. 581.*

(*ſ*) quorſum congruentes obſeruationes ſpectant, quae paſſim apud DE LA MOTTE *Traité complet des accouchemens* leguntur, ſpeciatim *Obſ.* 337. feminae cuiusdam, cui in partu difficili vaginae labia &c. dilacerata & coalita erant, per operationem reſtitutae.

(*t*) Conf. DE LA MOTTE *lib. cit. Obſ.* 338. vbi in femina, quamuis

rientia aſſertrice (*u*), conceptionem haud impedit. Scilicet nil impedit, quo minus foecunda vis ſeminis in vterum & ouaria nonnunquam penetret (*x*). Inter obſtetricatores DE LA MOTTE (*y*) in explicandis hiſce phaenomenis hypotheſi de aura ſeminali multum tribuere videtur; ſed cum alii (*z*) complures non deſint aliter ſentientes, facta

uis ex praecedenti partu laborioſo vaginae cohaerentiam paſſa fuerit, nihilominus denuo grauida, eandem inſtituit operationem, qua foetus excluſio acceleretur.

(*u*) Ill. enim ROEDERERVS eiusmodi puellae exemplum, ad inſtantem vsque partum hymene imperforato adeo, vt vix calami craſſitiem admitteret, praeditae, retulit. Analoga hiſtoria legitur apud MAVRICEAV *Tom. II. Obſ. 489. pag. 405.* vt & *ibid. Obſ. 583. p. 481.*

(*x*) FABRIC. HILDAN. *Lib. Obſ. chir. Cent. III. obſ. 60. pag. 224. exempl.* II. atretae cuiusdam caſum refert, cui, quamuis collum matricis membrana ſatis valida, foraminulis tamen ad expurgandos menſes pertuſa, clauſum eſſet, ſexto poſt factam operationem menſe, infantem ſanum ac maturum genuit, ergo ſemen hoc caſu exigua haecce foraminula tranſiit.

(*y*) *Traité complet des accouchemens* Lib. I. Cap. V. pag. 27.

(*z*) inter quos vnice MAVRICELLVM voco, vti ex ipſius obſeruationibus §pho Diſſ. XII. citatis videri licet.

facta ſaltem enarrare, omnemque ceterum mittere hanc litem mecum conſtitui.

§. XIII.

Differt operatio pro mali genio: facilis admodum, ſi naturalium viae media membranula inter ſe cohaerent, decuſſatim incidendo illam (*a*), adhibita cautione, ne vrinae iter aliaue violentur, turundam immittendo vel ſiccam, vel digeſtiuo quodam inunctam, atque faſcia firmando: difficilior, ſi ipſi parietes inter ſeſe concreuerunt; tunc enim ſcalpello prouide inciſio fieri debet ad lineam rectam, ſatis ampla, medendum haemorrhagiae forſan ſuperuenienti (*b*), & reliqua perficienda ſunt ad regulas vulnerum generaliores, vnde facile patet, difficiliorem etiam multo in vteri ore inſtitui operationem, quamuis fere omnes eaedem ſint encheireſes.

§. XIV.

(*a*) qualis CELSI methodus eſt. conf. *Lib. VII. Cap. 28.*

(*b*) Conf. CELSVS *loc. cit.* qui linamenta in longitudinem implicita, aceto ſaturata immittere iubet.

§. XIV.

Quibus grauidis hoc malum contigit, illis cautela ſit, vt operationem patiantur ante inſtantem partum (*c*). Caput quidem dolorum vi compreſſum, exteriora verſus tendens, facili hanc ipſam operationem perficere poſſet negotio (*d*); interim praeſtat, vt artis ope labia ſe-iun-

(*c*) MAVRICEAV *Tom. II. Obſ.* 489. hoc caſu monet, vt obſtetrix digito hanc membranam dilaceret.

(*d*) cuius rei hiſtoriam recenſet GVIL. HARVEIVS *in exercit. de generatione & partu pag.* 360. „*Noui*, inquit, *mulierem*, „*quae a difficili & laborioſo partu integrum vaginae ambitum interiorem laceratum atque excoriatum habuit, adeo, vt, finito puerperio, licet grauida denuo fieret, tamen „non ſolum orificii pudendi latera iuxta nymphas coaleſcerent, ſed totius quoque vaginae cauitas vsque ad internum matricis oſculum prorſus connaſceretur: vnde nec viuili membro, nec ſpecillo quidem ingreſſus patuit, neque „menſtruorum fluxui egreſſus. Inſtante itaque pariendi tempore, torquebatur miſella per quam miſeris modis, omnem„que ſpem deponendi ſarcinam abiecerat: quare ordinatis „rebus ſuis, amicis praeſentibus valedixit. Cum ecce inopinato, robuſti admodum foetus ſummo conamine totus ille* tra-

iungantur, ne foetus forſan praeter neceſſitatem vel in vtero retineatur (*e*), vel violenter prorumpens

„*tractus dirumpitur, fitque inſperatus partus; & validus* „*infans, ſibi matrique ſuae ſalutis autor exiſtit; viamque* „*apertam aliis poſt naſcendis reliquit. Idoneis enim adhi-* „*bitis remediis, mater priſtinam valetudinem recuperauit.* Atque aliud *ibid.* addit exemplum magis memorabile, his verbis: „*Sereniſſima Angliae Regina equam candidiſſimam,* „*formaeque eximiae dono acceperat: eiusque genitalia (ne* „*ab equis admiſſariis inita corporis gratiam, atque equi-* „*tandi vſum admitteret) equiſones (vt fieri ſolet) anulis* „*ferreis infibulauerant. Eadem vero, (neſcio quo pacto, nec* „*cuſtodes mihi modum indicare poterant) facta eſt grauida;* „*tandemque, cum nihil tale ſuſpicarentur, noctu peperit,* „*pullusque viuens mane ad matris latera conſpicitur. Id* „*cum mihi nunciaretur, adii illico locum, vidique ambo vul-* „*uae labia anulis conſuta, totumque pudendum verſus ſini-* „*ſtrum latus detruſum, abruptum, & a dextra coxendice* „*laceratum adeo; vt, ſoluta, per incredibilem foetus vim,* „*partis robuſtiſſimae vnitate, facile ei per ingentem illum* „*hiatum exitus pateſceret. Tantus ſcilicet eſt maturi vege-* „*tique foetus vigor & efficacia.*

(*e*) vid. DE LA MOTTE *lib. cit. obſ. 339. & 340.* vbi in partium genitalium cohaerentia ſemper exercuit operationem, ne partus diutius moretur, ſed foetus citius eo, & minori cum matris periculo in lucem ederetur.

pens genitalia laceret. Quae reſtant cauſae externae, leuioris momenti ſunt: ſi forſan pudendorum viae anguſtae nimis (*f*), ſeu vagina arida nimis veneris exercitium ob dolorum in coitu prae voluptate incommodum ſperneret, his facile ex indicatione conſulitur.

§. XV.

Quum vero concipiendi aptitudo ex fluxu menſtruo potiſſimum diiudicanda ſit, & aetatis diſcrimen ſemper foecunditatis ratio ſequatur, fieri aliter nequit, quin ex aetate ſterilitatem, pariendique facultatem aſſumemus temporariam. Quem enim fugit, tenerioris aetatis cum nimis profecta aetate eadem eſſe phaenomena: ſiquidem omnis puella cum vetula ſterilis eſt, quae media aetate vtraeque ſunt foecundae. Quas quidem cauſas naturales non omni attentione indignas fuſius paulo attingere liceat. Lunarium autem

(*f*) de quo incommodo MAVRICEAV loquitur *Tom. I. Lib. I. Cap. I. pag. 59.*

autem purgationum cauſas explicare vix ſcopum impleret; hinc maxime de menſtruorum termino, quatenus conceptionem & grauiditatem reſpicit, verba facere e re erit.

§. XVI.

Menſtruationis tempus pubertatis terminus eſt: ſcilicet cum puberes fiunt virgines, ſanguinis congeſtio verſus genitalia dirigitur turgeſcentia, ipſaque effluit. Hoc quidem contingit vtplurimum circa annum XIV-XV: interim non omnibus commune idem tempus (*g*) eſt, ſed excipiuntur

(*g*) Decimo aetatis anno prorumpentes menſes annotatae in ſalaciſſima quadam ſunt in *Ephem. germ. D. I. an. III. Obſ. 151. ſchol. pag. 274.* Idem refert LENTILIVS in *Ephem. germ. D. III. an. Vet. VI. App. pag. 119.* Vndecimo aetatis anno menſtruatas nouiſſe puellas teſtatur DAN. SENNERTVS *Pract. med. Lib. IV. part. 2. Sect. 2. cap. I.* & plerumque ſalaces fuiſſe addit. IOH. RHODIVS *Obſ. med. Cent. III. Obſ. 48. pag. 144.* vt & BAL. TIMAEI a GVLDENKLEE. *Obſ. Lib. IV. Caſ. 13. pag.* 211. virginis meminit, aetatis anno vndecimo menſtruatae, quae cum duodecimo anno nupſerit, plurium poſtea liberorum mater fuiſſet. Duodecimo aetatis anno

piuntur vtique, quae diſpoſitione prae reliquis ſingulari huicque naturali excretionis actu magis minusue adaptata vtuntur: quin ſi obſeruatorum libros (*f*) euoluimus, mira plane edocemur: partim

no menſtruatae exemplum refert FABRIC. HILDAN. *Obſ. chir. Cent. II. Obſ. 60. pag. 135.*

(*h*) Puellarum enim annorum nouem & octo menſtruatarum exſtant obſeruationes in *Ephem. germ. D. I. an. IV. & V. Obſ. 23. pag. 25.* & *ibid. D. II. an. V. Obſ. 78. pag. 184.* vid. etiam BARTHOLIN. *Hiſtor. anat. Cent. III. hiſt. 91.* MAVRICEAV *Tom. II. Obſ. 392. pag. 230. Act. Hafn. Vol. I. an. 79. pag. 161.* Annorum ſeptem & ſex copia pariter obſeruationum eſt, in *Ephem. germ. D. III. an.* VII. & VII. *Obſ. 140. pag. 259. Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent. I. & II. Obſ. 42. pag. 111. Journal des ſcavans Tom. XI. pag. 138. Ephem. germ. D. II. an. V. Obſ. 78. pag. 184. D.* I. *an.* III. *Obſ. 114. pag. 185.* KERCKRING. *ſpecil. anat. Obſ. 12. pag. 32.* Quinque quatuor annorum vid. BARTHOLIN. *Hiſt. anat. loc. cit. Ephem. germ. D.* I. *an.* VI. *&* VII. *Obſ. 63. pag. 91.* vt & *D.* III. *an.* VII. *&* VIII. *Obſ. 149. pag. 267. Journal des ſcauans Tom.* II. *pag. 39. 112.* TVLP. *Obſ. med. Lib.* III. *cap. 36. pag. 256.* Aetate trium & duorum annorum in *Ephem. germ. D.* I. *an.* III. *Obſ. 114. pag. 185.* & *ibid. an.* IX. *&* X. *Obſ. 27. pag. 84.* STEPHAN. BLANCARD. *Collect. med. phyſic. Cent. I. Obſ. 81.* Vnius anni puellae menſtruatae exſtat caſus in STAL-

tim vero hi caſus praeternaturales & morboſi (*i*) ſunt, partim, quamuis naturales, rari ſatis, vt valeat hic omnino: *quae maxima ex parte fiunt, ea maxime ſecundum naturam ſunt.*

§. XVII.

Quibus itaque ſueto tempore menſtrua contigerunt, iis, vt prolem concipiant, corpus diſpoſitum eſſe, & ceſſante fluxu menſtruo concipiendi facultatem ceſſare (*k*), recte iudicamus: non obſtante obſeruationum fide, quamuis alia non-

PART. VAN DER WIEL *Obſ. rar. Cent. I. Obſ.* 77. Recens natarum exempla leguntur apud KERKRING *Lib. cit. Obſ.* 87. BOHNIVM *Circul. anat. phyſiol. Progymn.* 16. *pag.* 243.

(*i*) Quorſum puellae hiſtoriam refero recens natae, quae menſtruum fluxum paſſa, conuulſionibus demortua eſt. vid. *Commerc. Litt. Nor. an.* 1734. *hebd.* XLIV. *pag.* 347.

(*k*) Quod confirmatur a GEORG. ERNEST. STAHL *Theor. med. phyſiol. Sect. I. membr.* 8. *pag.* 384. his verbis: „*Excretio* „*ſanguinis menſtrui habet illud peculiare, vt cum puberta*„*te feminina ſeſe exerat, quo conceptioni idoneae fiunt fe*„*mellae, & deſinat iterum & euaneſcat, quo tempore feminae concipere deſinunt.*

nonunquam, ſed rarior, doceat experientia. Iuniores autem quasdam, antequam menſtruatae ſint, concipere, non eſt, quod miremur: ſiquidem non adeo ſtricte requiritur, vt menſtrua ſemel & pluries apparuerint, ſed ſufficit ad concipiendi facultatem, iam adeſſe diſpoſitionem ad menſtrua(*l*), vte-

(*l*) Quorſum ſpectat obſeruatum BINNINGERI *Lib. Obſ. & curat. Cent.* II. *Obſ.* 55. *pag.* 188. Mulieris cuiusdam, quae iuuenis, decimo quarto circiter aetatis anno viro nupſit, mox concepit & peperit, quum teſte marito ipſaque affirmante, antea nunquam fluxu menſtruo tentata fuiſſet. Similem feminae XVI. annorum nondum menſtruatae, tamen grauidae, obſeruationem habet MAVRICEAV *Tom.* I. *Lib. I. Cap. X. pag.* 54. & *Tom. II. Obſ.* 393. *pag.* 326. Et feminae XIII. annor, quamuis nondum menſtruatae, tamen grauidae meminit DE LA MOTTE *Trait. complet des accouch. Lib.* I. *Cap.* IX. *Obſ.* XXIII. *pag.* 52. *ſeq.* & *ibid. Obſ.* XXIV. *pag.* 53. idem refert de femina XVIII. annor. Conf. etiam *Ephem. N. C. Vol. I. pag.* 203. Variolarum vindicibus, de HAHN Diſſ. *de morbillis*, & IAC. DENYS *Verhandelingen over het ampt der Vroed-meeſters eu Vroed-Vrouwen Cap.* IV. *pag.* 79. notat, in aſia feminas nonnunquam ante menſtrua concipere

rum eſſe ſpongioſum, & niſum illum adeſſe, qui praecedere ſolet menſtrua primum erumpentia: id quod exemplis illarum, nimis fertilium, quae vix peracto puerperio, denuo concipiunt durante lactationis ſtadio, antequam menſtrua erumpant, adeoque in perpetua quaſi grauiditate verſantes, hanc excretionem impediunt, illuſtratur.

§. XVIII.

Incertus autem vltimae menſtruationis finis eſt, prouti primae eruptionis vacillans limes: Vulgo quidem menſtruationis terminus circa aetis annum XLV abſoluitur, ſed pro temperamenti, naturae virium, ſimiliumque circumſtantiarum varietate & hoc naturae negotium differt *(m)*, vt vix regulas tradere, & omnem rem curatius

cipere, & in vniuerſum menſtrua rariora eſſe & parciora. KLEIN in *Libr. de aëre, aquis & locis agri Eibacenſis*, memorat plures ibi dari feminas, quae nunquam lunarem ex vulua expertae ſunt purgationem, non impedita fertilitate. *S.* II. *pag.* 250. *S.* III. *p.* 184.

(*m*) Mirae admodum apud auctores exſtant obſeruationes. Ita ſexa-

ratius determinare quis valeat. Interim hoc probe tenendum eſt, citius eo lunare tributum ceſſare, quo ocyus puella fluxum experta fuerit; In Hiſpania enim vbi mature ſatis hunc fluxum experiuntur virgines, cito etiam deſinit, ita vt XXX. aetatis anno tota frequenter periodus abſoluta ſit. Quo etiam ſaepius femina edidit partum, eo maturius ſemper cum fluxu menſtruo ceſſaturam in ipſa foecunditatem eſſe: vnde etiam fit, vt virgines quam diutiſſime menſibus gaudeant, ſeque illos pati adhuc, quamuis adſeneſcentes, ſaepius, niſi malus dolus ſit, affirment.

§. XIX.

ſexagenariae adhuc menſtruatae caſum refert RHODIVS *Obſ. med. Cent.* III. *Obſ.* 48. *pag.* 144. In femina ſexageſimum ſeptimum annum agente menſes obſeruatos habet LENTILIVS in *Ephem. germ. D.* III. *an.* V. & VI. *App. pag.* 118. ſeptuagenariae mentionem facit SIM. SCHVLZIVS in *Ephem. germ. D.* I. *an.* III. *Obſ.* 151. *pag.* 274. Septuaginta ſex annorum vxoris adhuc menſtruatae meminit BRVCKELIVS in *Ephem. germ. D. I. an.* IX. & X. *Obſ. 9. pag. 46.* Et conferri adhuc merentur *Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent.* I. *Obſ.* 42. *pag.* 110. & *ibid. Obſ.* 115. *pag.* 239. vt & *Cent.* VI. *Obſ.* 74. *pag.* 333.

§. XIX.

Vltimum aeque finem, ac primam eruptionem variae moleſtiae comitari ſolent. Minuitur ſenſim ſenſimque vltimis periodis fluxus, tandem propter vaſorum & fibrarum ſtricturas penitus non amplius apparet. Quamuis vero vterus tum ita comparatus ſit, vt vias claudat, ſanguinique irruenti praepediat iter, plethora tamen peculiaris illa ad peluim nondum vna ſublata eſt, quare feminae valetudinariae fiunt vario modo; protrahuntur enim congeſtiones, ibique locorum facile ſtagnantes, non vno modo ſymptomata morboſa illis grauidarum analoga, bonas vetulas vana ſpe decipientia (*n*), abdominis, mammarum inflationem, nauſeam aliaque pariunt; ſed dum in vigore verſatur hic morbus, vltima ſcena, haemorrhagia vteri, critice ſuperuenit, ſuccedaneas humorum collectiones expurgans, omnemque ex improuiſo bonae cauſae ſpem conterit, quo demum peracto ſtadio, aut fauſta valetudine

(*n*) Conf. MAVRICEAV *Tom.* I. *Lib.* I. *Cap.* VI. *pag.* 95.

ne fruuntur & obeſiores vt plurimum fiunt, aut naturae viribus deſtitutae, recurrentibus praeſertim haemorrhagiis phthiſicis in ipſam phthiſin incidunt (*o*) vel apertam vel latentem.

§. XX.

Quamuis autem menſtrui ſanguinis quantitas pro indiuiduorum natura, integris nihilominus concipiendi pariendique viribus, varia eſſe poſſit; excipiuntur tamen proprie ſic dictae viragines (*p*). Praeter illud enim, quod ad virorum naturam fere accedentes (*q*), coloris aliquando ſint fuſci, corporis compacti, mammarum ſolidiorum, minorum, vocis grauis, fortiores, hirſutiores, quin barbatae interdum fiant, vel nullos

(*o*) Conf. ANDR. PASTA Diſſ. *ſopra i menſtrui delle Donne Bergam.* 1759.

(*p*) de quibus FELIX PLATERVS *Prax. Tom. I. Cap.* 14. *pag.* 504. loquitur: „*Quibus menſes, quod tamen rarum eſt,* „*nunquam fluxerunt, ideo, quaſi virilem naturam induiſ-* „*ſent, viragines dicuntur.*

(*q*) Teſte iam AETIO *Serm.* 26. *Cap.* 51.

nullos plane menſes patiantur, vel parciſſime ſaltem menſtruatae ſint, quamuis ceteroquin ſanae, vterum habent naturali modo induratum & quaſi ſcirrhoſum, vt hoc nomine concipere nequeant, quamuis & hic non ſileant obſeruationes in vtramque partem (*r*): omnium inſtar illud autem

(*r*) Ita factae conceptionis exempla ſine vllo fluxu menſtruo antea paſſo legimus in *Ephem. germ. D. II. an. IV. Obſ. 126. pag. 249.* matris foecundae annorum XXVII, quae quamuis durante virginitate fluxu menſtruo laborauerit, per totum matrimonii tempus illo nunquam tentata fuit, licet aliquot peperiſſet liberos: & *ibid. D. II. an. I. Obſ. 41. pag. 114.* rarus itidem caſus exſtat trium filiorum matris, nec cum virgo eſſet, neque in matrimonio, neque per, neque poſt partum menſes aut lochia paſſae. Sic etiam de matre omni anno foecunda nunquam menſtruata refert DOLAEVS in *Ephem. germ. D. I. an. VI & VII. Obſ. 64. pag. 92. & ibid. D. I. an. III. Obſ. 265. pag. 479.* femina quaedam XXX. annorum ſex liberorum feliciter enixorum mater euaſit ſine vllo fluxu menſtruo & ne quidem lochia fudit. & *ibid. Obſ. 132. pag.* 243. de femina loquitur, quae nunquam habuit menſes, quum tamen bis vtero tulerit; & FRAVNDORFFERVS mulieris cuiusdam XXXV. annum agentis in vita ſua nunquam menſtruatae, quamuis foecundae, meminit in *Ephem.*

autem tenendum eſt: rarioribus hisce frequentiora toto die non ſiſti obſeruata.

G 2 §. XXI.

Ephem. germ. D. III. an. VII. & VIII. Obſ. 19. pag. 38. & *ib. Obſ. 41. pag. 65.* ſimilis fere exſtat caſus: bina etiam factae conceptionis ſine vllis menſibus praeuiis exempla habet LANZONVS in *Ephem. germ. D. III. an. I. Obſ. 23. pag. 47. ſeq.* Alia multa congeſſit SCHENCKIVS *Obſ. med. Lib. IV.* plura etiam legi poſſunt apud RIEDLIN. *Lin. med. an. 1699. menſ. Octobr.* 1636. REVSNER *Obſ. med. pag. 99.* apud VELSCH. *pag.* 55. & notabilem adhuc hiſtoriam refert FABRIC. HILDAN. *Lib. Obſ. chir. Cent. V. Obſ.* 41. *pag.* 427. feminae, quae ſeptem feliciter peperit liberos, quamuis nunquam fuiſſet menſtruata. Contra viraginum iure ſterilium exſtant caſus apud SIM. SCHVLZIVM in *Ephem. germ. D. I. an. VI. & VII. Obſ. 159. pag.* 224. feminae cuiusdam XXVII annorum, nunquam menſtruatae, neque cum virgo eſſet, neque in matrimonio, quae vero nunquam etiam genuit prolem. Ita & LENTILIVS in *Ephem. germ. D. III. an.* VII. & VIII. *App. pag.* 139. in muliere menſium defectum vna cum perpetua ſterilitate obſeruauit; quod & ſimile videre licet in *Miſcell. medic. pract. pag.* 249. HAESBAERT habet hiſtoriam mulieris ſterilis, cui neque durante virginitate, neque cum viro nupta eſſet, menſtrua fluxere. Alia multa refert exempla RHODIVS *Obſ. med. Cent.* III. *Obſ.* 47. *pag.* 144. MAVRICEAV *Tom.* II.

§. XXI.

In cauſas huius menſtruorum defectus dum inquirimus, attendendum, num a diſpoſitione connata ortum traxerit malum, an vero morbus quidam imi ventris potiſſimum obſtructorius praeceſſerit, qui, niſi iam adſit, facile ſubſequitur, & quibus omnibus pro rerum facie morbique euphoria ex ſuis indicationibus conſulendum. Nonnunquam etiam mariti cohabitatione vel conceptione menſtruorum clauſi fontes aperiuntur (*s*). Hic multum poteſt vitae genus

Obſ. 232. pag. 189. feminae ſterilis refert caſum nunquam menſtruatae, hydrope demum exſtinctae. Se etiam frequenter feminarum viraginum, quae ad conceptionem per omne matrimonium ineptae fuerunt, caſus obſeruaſſe retulit Ill. ROEDERERVS.

(*s*) Conf. PECHLINVS *Obſ. med. phyſ. Lib. I. Obſ. 35. pag. 83. ſeq.* & FRANCISCI PAVLLINI *Obſ. med. phyſ. Cent.* IV. *Obſ. 35. pag. 452. ſeq.* habet de ancilla ruſtica XL. annorum, quae nunquam antea menſtruata, mox primo cum marito concubitu menſtruata facta eſt, atque duas dein peperit filias. DE LA MOTTE *Lib. I. Cap.* IX. *Obſ.* XXIV. *pag.* 53.

nus & climatis differentia. Laborum enim induſtria ſub coelo praeſertim calidiori ſecretiones reliquas omnes auget, & plethoram conſumit, vt particularis illa in vterum vel inſenſibilis vel parca ſatis ſit. Ita enim notum eſt, feminas ruſticas, laborioſo vitae generi aſſuetas, multum ſudantes, vel plane non, vel parum menſtruatas eſſe.

§. XXII.

Verum enim vero, cum ad foecundam conceptionem eiusque in vtero confirmationem menſtruorum mediocritatem requiri, doceat experientia; aliae viciſſim dantur feminae, quibus menſtrua adeo copioſa ſunt, vt haemorrhagiarum nomen

 potius

53. feminae XVIII. annorum caſum refert, ante conceptionem nunquam menſtruatae, ea vero facta, menſes mox apparuere. HENR. a DEVENTER in *oper. chir. Part. I. Cap. XV. pag. 54.* refert, feminam nunquam menſtruatam fuiſſe, niſi foecundatam; & in *Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent.* VI. *Obſ. 75. pag. 335.* femina ceterum optime valuiſſe dicitur & virgo fuiſſe menſtruata, poſt matrimonium menſtrua ceſſaſſe & ſolum ab impraegnatione rediiſſe, cuius ſigna fuerint.

potius mereantur (*t*). Eiusmodi feminae, cum variis viſcerum officinae chylificatoriae vitiis laborent, eademque de cauſa variis ſymptomatibus ſpaſticis haud careant, hyſtericae plerumque ſint, hypochondriacae, animi pathematibus facile obnoxiae, latenter phthiſicae, ſteriles ſimul habendae ſunt. Quum enim haec menſtrua nullam ſeruent periodum, paucis diebus plus minus, quantitate vero ſemper iuſto maiori redeant (*u*), non modo neruorum varias imbecillitates patiuntur, & hinc lente contabeſcunt, ſed & conceptionem factam forſan, & per breue tempus retentam, recurrente illo fluxu haemorrhagiae vteri aemulo, quaſi per abortum, inter primum alterumue menſem vtplurimum factum, profundunt, vt hac ratione per complures annos aliquando conceptionis & abortus alterna ſeries ſe ſe excipere poſſit.

§. XXIII,

(*t*) DE LA MOTTE *Lib.* I. *Cap.* VI. *Obſ.* IX. *pag.* 17. vtriusque generis naturae excedentes feminas annotauit ſteriles.

(*u*) Teſtantibus haec & ſimilia BARTHOLIN. *Lib. cit. Cent.* III. *Hiſtor.*

§. XXIII.

Similes harum prope modum ſunt feminae, quae largiori laborant fluore albo (*x*), maxime vterino a partu difficili oborto. Alius enim eſt fluor albus vterinus, alius vaginalis: Ille in congeſtione conſiſtit mucoſi humoris, albidi, ſatis diluti, & niſi a partu difficili inductus, metaſtaſi cuidam in haec loca originem debet, atque ex ipſo vtero deſtillat, conceptionem potiſſimum impediens, quia vna cum hoc ſtillicidio ſperma mox ablutum foras elabitur; Hic nulli aetati parcens (*y*), penis catarrho analogus, vberior muci ex vaginae ſinubus ſecretio eſt, iterum ex metaſtaſi quadam, vel ex contagio venereo ortus

Hiſtor. 8. *pag.* 22. & *Cent.* II. *Hiſtor.* 42. *pag.* 206. *ſeq.* RIVER. *Obſ. med. Cent.* IV. *Obſ.* 86. *pag.* 57. aliisque.

(*x*) Conf. MAVRICEAV *Tom.* I. *Lib.* I. *Cap.* I. *pag.* 58. & *ibid. Lib.* III. *Cap.* XXII. *pag.* 460. Sterilitatem a fluore albo vna cum melancholia vterina feliciter curatam notat MVRALTVS in *Ephem. germ. D.* II. *an. I. Obſ.* III. *pag.* 274.

(*y*) MATHIAS NESTERVS enim in *Ephem. germ. D.* I. *an.* VIII. *Obſ.* 25. *pag.* 46. caſum refert puellae octennae fluore

tus, plerumque cum variis circa genitalia ſymptomatibus, excoriatione aliisue coniunctus: Quod tamen malum, niſi maiori in gradu adſit, conceptionem vix vetat (*z*).

§. XXIV.

Horum omnium ſi nulla in feminam cadit culpa, & nihilominus viro nupta matrimonium tranſigat infoecundum, in relatiuam inquirendum eſt ſterilitatem; etenim non alterius ſaltem coniugis, ſed vtriusque requiritur foecunditas (*a*).

Vter-

re albo laborantis. Septem & nouem annorum puellarum exempla refert MAVRICEAV *Tom.* I. *Lib.* III. *Cap.* XXII. *pag.* 457.

(*z*) Ita apud MAVRICEAV *Tom.* II. *Obſ.* 178. *pag.* 141. legimus, mulierem per totam grauiditatis ſuae periodum fluore albo laboraſſe. & *ibid. Obſ.* 195. *pag.* 156. fere idem. & *Obſ.* 218. *pag.* 175. gemellorum partus meminit, matre per omne grauiditatis tempus fluore albo laborante. Verum in *Ephem. germ. D.* II. *an.* I. *Obſ.* III. *pag.* 279. refertur caſus mulieris, quae per triennium ſterilis vixit ob fluorem album, quo laborabat.

(*a*) Id quod videri licet apud DE LA MOTTE *Lib. cit. Obſ.* X. *pag.* 17. & alia refertur hiſtoria priori ſimilis *ibid. pag.* 18.

Ita

Vterque quidem per ſe ſpectatus foecundus eſſe poteſt, minus autem in relatione ad ſe inuicem, quo interdum fieri poteſt, vt mulier ex alio concipiat viro, maritus aliam impraegnet vxorem.

SECTIO II.

§. XXV.

Quamuis ardua ſatis & cognitu difficillima res ſit, praedicere, num femina ſit paritura, nec ne; remotis omnibus contraindicantibus, ſupra conſideratis, omnem in hanc rem figam operam, vt, quoad ex genitalium, vteri potiſſimum mutationibus, vna cum aliis conſpirantibus, vera grauiditatis ſigna eruere licitum ſit, indicem, eo quidem ordine, vt totam mutationum

Ita & FORESTVS *iu oper. Lib. 28. Obſ.* 57. refert de femina, quae, cum ex primo viro non concepiſſet, poſtea alteri valde foecundo nupta, neque tunc impraegnata fuit; verum tertio marito cum copularetur, tunc demum concepit.

num viciſſitudinem a conceptione ad finem grauiditatis vsque iuxta tempora huius ſeriei ventilem.

§. XXVI.

Antequam vero grauiditatis criteria exponam, dicendum paucis erit, quod conceptionis opportuniſſimum tempus ſit. Quo loco notandum, feminas quidem omni tempore, quod ſecus eſt ac in brutis, concipere poſſe: maximam tamen concipiendi diſpoſitionem obſeruari tempore verno, circa finem aprilis & menſe maio (*b*), atque adeo medio hieme partuum numerum maximum (*c*) eſſe: quin, ſi ita volupe eſt, illud animaduertere non abſonum erit, amplexum inter coniuges matutino potius quam veſpertino tempore foecundum eſſe, digeſtione nempe abſoluta, atque certiore ſpermatis efficacia. Imo & haec foecunditatis lex tenenda eſt, rariſſime ſub

(*b*) Conf. MALOVIN *Mem. de l' acad. Roy. des ſciences a.* 1751.

(*c*) In Noſocomio Gottingenſi, in quod egenae grauidae recipiuntur, quotannis hanc obſeruationem annotauit Ill. ROEDERERVS.

ſub ipſum fluxum menſtruum concipere, difficillime ante illum inſtantem, optime autem finito menſtruorum fluxu impraegnationi aptas feminas eſſe (*d*). Quorum omnium ratio facile patet, ſiquidem priori in caſu conceptio vna cum menſtruis plerumque eliminatur, quod idem facile contingit ſubſequente mox muliebri purgatione; cum potius menſtruis profuſis, & quieſcente vtero, vlterius perfici poſſit generationis opus. Quibus rite perpenſis, intelligi poteſt, quid ſibi velit diuina lex, quae iuſſit, vt menſtruationis tempore cum ſuis vxoribus mariti per ſeptem dies non coeant (*e*); nihil nimirum, niſi hominum multiplicationem.

§. XXVII.

Ipſa autem factae conceptionis ſigna varia ſunt, neque in omnibus eadem obſeruantur. Pro-

(*d*) Conf. MAVRICEAV *Tom. I. Lib. I. Cap. I. pag. 61.* DIONIS *Traité general des accouchemens Lib. I. Cap. VIII. pag. 73.*

(*e*) vid. *Bibl. ſacr. Leuit. cap. XV. v. 19.*

babilis eiusmodi nota a compluribus habetur v-triusque ſexus ſenſus quidam peculiaris voluptatis (*f*) ſub ipſo coitu (*g*) ad exſtaſin nonnunquam accedens, quique in feminis maior putatur &(*h*) a copioſiori in haec loca humorum orgasmo, a genitalibus turgeſcentibus, vteri & vicinarum partium

(*f*) Conf. MAVRICEAV *Tom. I. Lib. I. Cap. III. pag. 68.* DIONIS *Traité general des accouch. Lib. I. Cap. VIII. pag. 73.* DE LA MOTTE *Lib. cit. Cap. XVII. pag. 89.*

(*g*) Qualis ſenſatio in ſua praxi haud ignota fuit Poetae OVIDIO, qui ita cecinit:

Ad metam properate ſimul, tunc plena voluptas;
Cum pariter victi foemina virque iacent.

Et haec eſt ratio, quod paulo poſt adiecerit:

Odi concubitus qui non vtrinque reſoluunt.

(*h*) Num gratiorem titillationem ſentiat femina an vir, controuerſi ſunt auctores. Maiorem maris quam feminae in congreſſu affirmat HIPPOCRATES *de genitur. oper. ſect. 3. fol. 12.* „*multo minus delectatur femina, quam vir, ſed diu-* „*tius ipſo perdurat in voluptate*: & idem iudicat MARCELLVS DONATVS *de med. hiſtor. mir. Lib. 4. Cap. 17. pag. 369.* aliique. Contrarium vero autumant cum GALENO & AVICENNA PAVL. ZACCHIAS *in Quaeſt. med. legal. Lib. 3. Tit. I. quaeſt. 7. no. 14. ſeq.* WEDELIVS in Diſput. *de venar. medic. & morbifer.* 1684. *habit. Cap. 2. pag. 13.* & omnes fere recentiores.

partium rigori deriuatur (*i*). Gradu differt hic ſenſus, quin feminarum quaedam animo linqui ſolent. Quo vero gratior in viro eſt perceptio, eo maiorem ſeminis foecundi vim innuit. Verum non eſt, vt prorſus perſuaſi omnem huic ſigno tribuamus fidem; fallere enim poteſt ob coniugum ignorantiam & feminarum quarundam ſenſationis hebetudinem (*k*); & contra ob nimiam clitoridis ſenſibilitatem ſine facta conceptione quaedam eiusmodi voluptatem ſentiunt; quum aliae viciſſim ſine iſtiusmodi grata perceptione concipiunt (*l*).

§. XXVIII.

(*i*) RVYSCHIVS bis obſeruauit illam turgeſcentiam & veram quandam gen italium internorum inflammationem, in mox poſt concubitum occiſis feminis.

(*k*) Conf. FELIX PLATERVS *Obſ. Lib. I. pag. 260.* vbi cuiusdam meminit, quae ne quidem a primo matrimonialis concubitus actu vllam iucunditem ſentiebat. Interim de duabus ſterilibus, citra vllum voluptatis ſenſum congreſſum patientibus, in quibus internum vteri orificium coalitum, & in eius collo nullae deprehendebantur rugae exſtat *in Hiſtor. morbor. Vratislauienſ. an. 1702.*

(*l*) Conf. MAVRICEAV *Tom. I. Lib. I. Cap. III. pag. 68.* vid.

etiam

§. XXVIII.

Ita & veteres, qui ſedem ſpermatis muliebris in veſtibulum ante hymenem poſuerunt, quo tamen loco ex ſinubus in aeſtu venereo cum voluptate profunditur humor ſaltem mucoſus; de ſimultanea vtriusque ſexus ſeminis eiaculatione multa iactarunt, vt exinde congreſſus fieret foecundus (*m*): ſed hi audiendi vix ſunt.

§. XXIX.

Et viliora fere aeſtimanda ſunt, quae veteres hypotheſi HIPPOCRATIS innitentes de ſeminis in vtero retentione ſenſerunt, ita vt illud non modo quoad omnem maſſam in vterum delatum, ſed & per tempus quoddam aſſeruatum voluerint (*n*): Omnis enim ſeminis quantitas vt in vterum

etiam NICOL. VENETTE *Tableau de l'amour coniugal ou de la generation de l'homme Tom. II. Part. III. Cap. IV. Art. III. pag. 60.*

(*m*) Conf. MAVRICEAV *Tom. I. Lib. I. Cap. II. pag. 64.* & DIONIS *Traité general des accouchemens Lib. I. Cap. VIII. pag. 73.*

(*n*) ARISTOTELES *in Hiſtor. animal. Libr. VII. Cap.* 3. ait: „ſi

rum deferatur & retineatur non opus eſt (*o*), ſiquidem ſemper effluit illius quaedam pars, ſufficitque ſi pars liquoris remaneat: de quo argumento recte iudicat MAVRICEAV, credendum non eſſe, effuſa quadam ſeminis portione, fore vt foetus naſceretur imperfectus, cui vel hoc vel illud deficiat membrum (*p*): quamuis in eo erret, quod viri ſiccitatem, quae ſeminis in vtero moram arguit, (hinc ſaltem adiungenda conceptioni

„*ſi ſemen in ſeptimum diem intus permanſerit, conceptum* „*iam eſſe, certum eſt.* RODERICVS a CASTRO *de Natur. Mulier. Lib. III. Cap. 14. pag. 150.* terminum illum breuiorem multo praefiniuit, quando ait: „*Cum ſemen vtrumque in vtero conſtiterit, neque intra ſeptem poſt eiaculationem horas fuerit effuſum, ſed vteri calore conſeruatum, feminam concepiſſe credendum eſt, & tunc geſtationem ac* „*foetus formationem incipere.*

(*o*) Conf. DIONIS *Traité general des accouchemens Lib. I. Cap. VIII. pag* 74. id quod idem apud DE LA MOTTE *Traité complet des accouchemens Lib. I. Cap. V. pag.* 27. & 29. *ſeq.* legitur. Ceterum hypotheſi aurae ſeminalis indulgere videtur.

(*p*) vid. EIVSDEM *Tom.* I. *Lib.* I. *Cap.* II. *pag.* 65.

ptioni) pro ſigno nimis probante habeat (*q*); quum tamen fallere hoc indicium poſſit, quod vaginae rugae & corporis ſitus moram illam mentiri valeant.

§. XXX.

Ceterum phaenomena paucis a conceptionis tempore minutis elapſis, nonniſi a ſagacioribus feminis obſeruata ſunt. Dolor quidam quaſi leuioris colicae circa vmbilicum (*r*), abdominis inflatio, ſpaſtica tenſio & repletio vix perceptibili gradu, motus & calor vagans in infimo ventre, quem excipit horror totius fere corporis, artuum tremor, inſequente leuioris frigoris ſenſu: Quin languent paulo poſt feminae, moroſae fiunt

(*q*) it. EIVSDEM *Tom. I. Lib. I. Cap.* III. *pag. 68.* qua de re illum inculpat DIONIS *Lib. cit. Cap. VIII. pag. 73.*

(*r*) De hoc ſigno conferendi ſunt AMBROSIVS PARAEVS *Lib. XXII Cap. V.* VAN HORN *Siphra und Pua im* IV. *Capit. des erſten Theils pag. 13.* DE LA MOTTE *Traité complet des accouchemens Lib.* I. *Cap.* XVII. *pag 89.* HÜCKEL diſſ. *de vomitu grauidarum. Francof. ad Viadr. an. 1733.* §. 4. & 6. & MAVRICEAV *Tom* I. *Lib.* I. *Cap.* III. *pag.* 68. illum dolorem ita deſcribit, vt quaſi ſit *un broüillement du bas-ventre.*

fiunt & animo deiecto, propter artuum laſſitudinem, quietem, otium & vitam tranquillam amant; in vtero motum quendam inflationis quaſi per aliquot temporis minuta percipiunt, vel ac ſi borborygmi in eodem vagarentur; imo ſtudioſiores paulo feminae ipſum quendam, in inferiori abdominis ſede, motum transuerſum verſus vnum alterumue latus, ex ouario ad vterum tendentem nonnunquam obſcuro modo diſtinguunt; aliae vero barborygmis a nouo ſtimulo & ſpasmo vniuerſali ex inſueta irritatione & ſanguinis influxu inductis, vexantur (*s*). Quae omnia, vti facile eſt cenſendum, tanquam ſubtiliora, feminarum vulgus vix notat.

§. XXXI.

Manifeſtiora haec atque alia, quamuis non niſi in illis, quae corpus habent tenerioris fabricae, mobilioribus neruis, & adeo maiori ſenſibilitate praeditum, fiunt elapſis aliquot diebus. Tunc enim

(*s*) Conf. Ill. ROEDERERI *Elem. art. obſtetric. §. 138. pag. 69.*

enim factam conceptionem foecundus amplexus arguit, dum moroſae de anxietate quadam inſolita conqueruntur, vt ſe morbi cuiusdam prodromis tentari certiſſime credant, abdomen ſimul ſpaſtice tumet, & tactui duriusculum ſe praebet, quo tempore ſibi maxime cauent; & alios cohortantur, ne forſan valide nimis contra illud impingant (t), nihil enim ponderis ne quidem incumbentis ferre tunc poſſunt.

§. XXXII.

Verum quaerendum hic loci eſt, num orificium vteri clauſum factam conceptionem denotare valeat? ſunt quidem auctorum multi, qui HIPPOCRATIS (u) auctoritate inſiſtentes hanc notam infallibilem aeſtimare conantur. Sed notandum,

(t) Conf. Ill. ROEDERERI *Elem. art. obſtetric.* §. 139. *pag.* 61.

(u) *Sect. V. aphor.* 51. ait: „*Quae in vtero gerunt, harum os vteri clauſum eſt.* Prouti nec maiorem inuenio veritatem *ibid. in aphor.* 41. „*Mulierem ſi velis cognoſcere, an praegnans ſit, vbi dormitura eſt, (incoenatae) aquam mulſam bibendam dato: Etſi quidem tormen habeat circa ventrem, praegnans eſt: ſi vero minus, praegnans non eſt.*

tandum, vteri quidem grauidi a virgineo vel non grauido mutationes (*x*) non paucas ſatisque notabiles eſſe; interim de HIPPOCRATE praeſertim illud tenendum eſt, explorationem illis temporibus nondum moris fuiſſe, neque ipſum illam exercuiſſe; ſed veterum hypotheſis hunc errorem induxit. Putarunt nimirum, vteri os recipere ſperma virile, quo cum feminino commiſceatur; vnde illud ſemper auidum ſpermatis hiansque atque apertum crediderunt; (quin imo, obuiam ire membro virili deſcendendo adhuc recentiorum nonnulli (*y*) aſſerunt) poſt conceptionem vero & ſitim veneream quaſi exſtinctam clauſum eſſe orificium defenderunt. Verum clauſum aeque eſt orificium ante ac poſt conceptionem, exceptis vltimis grauiditatis hebdomadibus,

(*x*) Conferri merentur de hoc argumento, quae Ill. ROEDERERVS *in iconibus vteri humani* exhibuit.

(*y*) vid. MAVRICEAV *Tom. I. Lib. I. Cap. I. pag. 57. & ibid. Cap. II. pag. 64.* DIONIS *Trait. gen. des accouch. Lib. I. Cap. VIII. pag. 73.* DE LA MOTTE *Trait compl. des accouch. Lib. I. Cap. V. pag. 27.*

dibus, inſtante partu. Neque tamen abſolute clauditur; rima enim in virgine etiam ſperma transmittit, & partium rigor propter irritationem illud totum aperit orificium. In femina virgine non grauida ſemper clauſum dici poteſt hoc orificium, quare in illis nihil probat. Neque huius clauſurae probatio valet in illis grauidis, quae ad medium vsque grauiditatis terminum nonnunquam obſeruantur menſtruatae; neque in illis, quae partum iam aliquoties ediderunt, exacte clauſum eſt, ita vt circa rimam transuerſam hinc illinc plicae obſeruentur, quin exploratoris digitus in ipſum vteri cauum penetrare, atque foetus caput tangere aliquando poſſit.

§. XXXIII.

Inchoata autem conceptione nouus ille ſtimulus (§. XXX. ſeq.), ſeu ſyſtematis neruoſi mutatio, varia feminis, praeſertim tenellis, ſymptomata parit morboſa, maxime ex abdominalium genere, quibus vehementer nonnullae laborant; aliae vero robuſtiores & validiores minus a noua iſta

neruo-

neruorum mutatione afficiuntur, neque prius quidquam patiuntur, quam menſtrua deſierunt, quin in hyſtericis & hypochondriacis, ſi facta fuit conceptio, ſilente quaſi, quem ante grauiditatem expertae ſunt, morbo, priora ſymptomata plerumque vel minuuutur vel penitus ceſſant(z). Iudicandum hic omnino eſt, an forſan aliae horum phaenomenorum lateant cauſae, atque laruis ſuis ſpeciem conceptionis mentiantur, quae tamen ipſae morbum proprie ſiſtunt, nosque fallunt, ſiquidem haec ex morboſis affectionibus deſumta ſigna nonniſi probabilia ſunt. Sane illud non infrequens omnem artis etiam verſatiſſimi poſcit attentionem, vt vix hisce ſimilibusque fides tribuenda ſit, niſi in illis feminis, quas crebro repetita obſeruatio certiores fecit: imo certiores

(z) Eiusmodi exemplum VOELLTERN refert *neueroeffnete Hebammen-Schule &c. pag. 11.* quin mirae Epilepſiae hoc modo ſanantur, quales feminae & pro daemoniacis habentur. Conf. *Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent. I. Obſ. 23. pag. 80.* item Cephalaea chronica. *Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent. III. Obſ. 13. pag. 297.*

tiores aliae nonnullae euadunt, quibus hoc vel illud ſignum quamuis paradoxon ſatis contingit (*a*). Ita aliae iteratis obſeruationibus innitentes ſe grauidas eſſe colligunt, ſi aſſumtum quoddam purgans effectum denegauit; aliae viciſſim, ſi ſolito fuſius virtutem ſuam exſequutum eſt.

§. XXXIV.

Verum quae vulgo obſeruantur ſymptomata ante menſtruorum ceſſationem, quorum quaedam circa ventriculum, alia partim circa hypochondria, partim circa ipſum vterum naſcuntur, alia vero totum corpus afficiunt, ſolent eſſe, nauſea, vomitus, appetitus proſtratus, immodicus, varie irregularis, pica, carnium faſtidium, iracundia

(*a*) Ita in *Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent. I. Obſ. 45. pag. 114.* mentio fit cuiusdam feminae, cui haemorrhagia ex bregmate ſiniſtro ſingulis vicibus certo grauiditatis ſigno fuit, vbi & plura alia exempla collecta ſunt. GEORG. HOYER *in Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent. V. & VI. Obſ. 75. pag. 335.* feminae meminit, quae menſes quidem in virginitatis adhuc annis ordinarie, nunquam vero poſt matrimonium contractum, niſi tempore grauiditatis & inchoatae conceptionis obſeruauit.

cundia, moeror, triſtitia, ad labores pigritia, virium languor, quin fractura, animi deliquia, ſomnolentia, affectus melancholici, viri faſtidium, oculi retracti, liuidi, turbidi, dolentes, palpebris languentibus, a muſculis vix ſuſtentis, cum circulo circa easdem liuido ſeu flaueſcente, dentium dolor, ſaliuae copioſa excretio, faciei puſtulae; &c. quae omnia excipit ſuo tempore menſtruorum emanſio, vnde oborta plethora oriri ſolent cephalalgia, faciei rubor & inflatio, dentium dolor, vertigo, artuum tremores, ardores volatici circa ſuperiora imprimis; in aliis vero pallores, ephelides, puſtulae item in facie & collo, imprimis autem circa ipſam frontem, imo naſus quaſi flaua vernice tinctus. Et temporis ſucceſſu accedere ſolent alui ſegnities, quin eius obſtipatio cum variis tenesmorum incommodis ab incumbente grauius vteri ſarcina in ipſum inteſtinum rectum. Ita & vltimis grauiditatis menſibus vmbilici eleuatio, vt quaſi deletus appareat, pedum tumor oedematoſus a preſſione vaſorum iliacorum & circulo humorum impedito,

vt & eorum ſtupor quaſi cum ſingulari laſſitudine, vnde & ingreſſus difficilis, crurum pedumque ſpasmi tempore nocturno potiſſimum ſummo interdum dolore iuncti (b), inguinum & lumborum dolor, renum etiam, quales a nephritide, quin quibus abdomen multum propendet, ponderis quaſi circa pubem moleſta ſenſatio; varices non minus in valuularum praecipue ſedibus, lividae maculae, ſugillationum inſtar circa crura, rinae reddendi difficultas cum ſummo ſtimulorum incommodo (c), vel eius incontinentia, pectoris anguſtia, reſpirandi moleſtia (d), ventriculi dolores, inteſtini recti prolapſus aliaque.

§. XXXV.

Summo iure factae conceptionis & incipientis grauiditatis ſignum menſtruorum ceſſatio habetur. Quum vero natura non faciat ſaltum, inde

(b) Madame BOVRGEOISE *Part.I. Cap.IV. pag. 64. edit. germ.* de ſe ipſa dicit, ſe grauidam acerbiſſimum ex ſpasmis pedum dolorem ſenſiſſe.

(c) Conf. MAVRICEAV *Tom. I. Lib. I. Cap. XV. pag. 138.*

(d) Conf. EIVSD. *Cap. XVI. pag. 141.*

de non ſequitur: Menſes emanſere; ergo concepit: quamuis hac ratione ſaepius caeteris paribus concludere valeamus, & feminae terminum, vnde calculi initium ſit, inde ſibi ponant (*e*). Notandum enim eſt, menſtrua primo menſe ſaepe non ſiſti (*f*), quin in grauidis plethoricis & aetate iunioribus cum euphoria fluere poſſe (*g*), ita tamen, vt ſenſim ſenſimque copia decreſcant. Imo indubiis conſtat obſeruationibus, fluxum illum in valde plethoricis ad medium grauiditatis terminum

(*e*) Conf. Ill. ROEDERERI *Diſſ. de temporum in grauiditate & partu aeſtimatione §. III. p. 3. Gotting. an. 1757.*

(*f*) Menſtruorum naturalium fons ipſe vterus eſt. Haec ergo in grauiditate locum habere non poſſunt. Quodſi vero nihilominus primis fluunt menſibus, ex ſpongioſa ceruicis vteri reddita ſubſtantia, & ſpeciatim eius ſinubus mucoſis, dilatatis oriuntur. Ipſe Ill. ROEDERERVS ſaepius obſeruauit, ex ceruice liquorem rubellum in grauidis profluere; ergo non eſt, cur denegare conemur ceruici, vera profundere poſſe menſtrua, ſiquidem ab iſto humore ſaltem gradu differunt.

(*g*) MAVRICEAV *Tom. II. Obſ. 168. pag. 132. & ibid. Obſ. 388. pag.* 322. vt & *Obſ. 606. pag. 498.* in *Ephem. germ. D. I. an. IX. & X.*

 Obſ.

minum vsque nonnunquam ſine vlla noxa protrahi (*h*), quin vltra (*i*), & inde ſaepius euenit, vt praematurus aliquando habeatur partus, qui iuſtam noni menſis ſolaris expleuit periodum. In aliis vero eiusmodi ſerotina menſtruatio non caret aliquando grauioribus ſymptomatibus (*k*), foetus

Obſ. 29. pag. 86. exſtat caſus de eiusmodi ſtillicidio vteri in grauida tam matri, quam foetui inoxio.

(*h*) Conf MAVRICEAV *Tom. I. Lib. I. Cap. III. pag. 72.* quo loco notat, feminam re vera grauidam ob ſuperſtitem menſtruationem talem non indicatam, ſupplicio traditam fuiſſe. it. DE LA MOTTE *Lib. I. Cap. IX. Obſ. 26. pag. 56.* & *ibid. Obſ. 24. pag. 53.* caſum refert grauidae, nondum antea menſtruatae, elapſis aliquot menſibus, quibus in vtero geſſerat, menſtruatae factae.

(*i*) Conf. MAVRICEAV *Tom. I. Lib. I. Cap. XX. pag. 155.* vbi, ſe feminam nouiſſe, narrat, quae ad ſextum vsque grauiditatis menſem ſuetis periodis menſtrua adhuc profudit. & DE LA MOTTE *Lib. I. Cap. IX. Obſ. 25. pag. 55.* feminae grauidae ſeptimo adhuc menſe menſtruatae caſum refert.

(*k*) Qualem fluxum in grauida grauiſſimis cum ſymptomatibus, virium proſtratione, tuſſi, reſpirandi difficultate, doloribus dorſi, lumborum, vna cum metu abortus notatum legimus in *Ephem. germ. D. II. an. I. Obſ. 110. pag. 271.*

foetus periculum ſubeſt (*l*), atque abortus (*m*) minatur.

§. XXXVI.

Porro & illud aeſtimandum eſt, vtrum ex alio cauſarum morboſarum fonte menſtrua ſubſtiterint, vbi ſemper circumſtantias quasdam morales ponderare neceſſe eſt. Medici enim & ingenium & iudicium vigilet hoc caſu, ne femina fumum ſibi vendat, vel nullius momenti cauſas afferat, quibus ſuppreſſionem menſtruorum attribuere molitur; ſuſpecta ſane res eſt, ſi forſan ipſa arbitretur, emmenagoga fortiora ſibi optime conuenire: quum vero arbitrio medici ſeſe relinquat, remediaque ab ipſo appetat ſine methodi cuiusdam praeſcriptione, de vera menſtruorum

(*l*) Monente HIPPOCRATE *Sect. V. aphor. 60.* „*ſi mulieri in* „*vtero gerenti purgationes prodeant, foetum ſanum eſſe impoſſibile.*

(*m*) de menſtruis in grauida & aliis grauiſſimis ſymptomatibus cum abortu vid. FABRIC. HILDAN. *Lib. Obſ. Cent. III. Obſ. 59. fol. 243.*

ſtruorum ſuppreſſione potius ſuſpicari medicus poteſt, attendendo ſimul, an in illis ſymptomata neruoſa, hyſterica, abdominalia verſus finem imprimis cuiuslibet periodi augeantur, minuanturue; Priori enim caſu plerumque ſtatus morboſus ſubeſt, vsque dum, niſi menſtrua recurrant, per criſeos ſpeciem ſoluatur morbus metaſtaſi quadam vel in chronicum, vel in acutum morbum: poſteriori vero, cum illis menſtruorum defectus contigerit absque apparente quadam cauſa, neque vlla ſuperueniente criſi, ſed remiſſioribus omnibus, quae paulo ante adfuerant ſymptomatibus, imo euaneſcentibus tandem, conſentiente iam diuino ſene *(n)*, maior geſtationis ſuſpicio eſt.

§. XXXVII.

Medicus vero dubius forſan, & feminarum placitis indulgens, ſedulo attendat, ne ex altera

parte

(*n*) Conf. HIPPOCRATES *Sect. V. aphor. 61. „ſi mulieri purga„tiones non prodeant, neque horrore, neque febre ſuperue„niente; cibi autem faſtidia ipſi accidant, hanc in vtero ge„rere putato.*

parte embryonem, latentem forſan, laedat, ex altera vero parte, ne morbum negligat. In praeſcribendis medicamentis mitiſſima eligat, ex evacuantium genere leniora ſaltem, & eiusmodi in vniuerſum remedia, quibus aliquamdiu ſine alia noxa vſis, vel menſtrua reuocentur, vel veram mali cauſam dijudicandi ſpatium ſibi acquirat.

§. XXXVIII.

Mirum porro vteri & mammarum commercium eſt. Quamprimum enim menſtrua ceſſarunt, mammae mox futurae foetus nutritionis apparatum praemoliuntur. Notabile ſcilicet capiunt incrementum, dum ſimul eleuantur, & earundem venae coeruleo colore conſpicuae magis efferuntur. Papilla turgens, adſpectu quaſi inflata craſſeſcit, colore naturali (ex albido rubello) obſcuriori diſtincta, & diſcus papillam ambiens in latiorem expanſus peripheriam, ſimili colore notatur, paruis eminentiis, quaſi totidem

dem papillulis, quarum numerus plerumque ad XV - XVII. accedit (*o*), tegitur.

§. XXXIX.

Dolent aliis tunc temporis mammae, aliis papillarum fiſſurae cum acerbiſſimis doloribus ſubinde contingunt: plerumque vero omnibus grauidis, termino quodam incerto, vt plurimum circa medium grauiditatis tempus, quin ſerius, humor quidem tenuis mammis exprimi poteſt; vbi notandum, primiparas huius liquoris parciorem fundere quantitatem, in feminis vero iam aliquoties partum expertis lympham copioſiorem profluere. Lympha iſta ſtriis lacteis, quaſi totidem vermiculis diſtincta, vltimis praecipue menſibus vberiori copia ſecernitur, aucta adeo verſus finem geſtationis, vt vel ſponte nonnullis effluat. Verum enim lac neque in virgine, neque in femina nupta hoc tempore obſeruatur, ſed demum abſoluto partu, ſuperuenien-

te

(*o*) Conf. MAVRICEAV *Tom.* I. *Lib.* I. *Cap.* III. *pag.* 69.

te ſic dicta febre lactea, quae critico modo lac in mammas deponit, niſi forſan in illis lactis veſtigia ſupereſſe deprehendas, quae ſub ipſo lactationis ſtadio denuo concepere (*p*). Non omni tamen dubio hoc ſignum caret. Siquidem rara licet, virginum etiam lactantium exempla leguntur (*q*); & per complures ſaepe annos nutricum, quae infantem dudum ablactarunt, mammae liquore quodam turbido, lacteo profluunt, menſtruorum maxime tempore.

§. XL.

Nonne igitur, quae ab vteri incremento & orificii interni mutatione depromuntur notae, grauiditatis certiſſima ſigna ſunt? Negari quidem nequit, explorationem omnium tutiſſimam inueſtigandi veritatem eſſe viam, qua nempe vteri alterationes optime percipiuntur. Quum maius

(*p*) Haec mammarum ſigna frequenter ipſe, in Noſocomio, quod Gottingae floret, obſeruaui.

(*q*) Conf. NICOL. VENETTE *Tableau de l'amour coniugal Tom. I. Part. II. Cap. I. art.* III. *pag.* 100.

maius ſenſim ſpatium vterus poſt conceptionem occupat, ſimulque primis tribus circiter menſibus in peluim deſcendit, vt hac ratione abdomen complanetur *(r)*, vteri autem ceruix in vaginam paululum detrudatur, commodius paulo exploratoris tactui ſe offert. Nempe ante impraegnationem nequidem integer digitus orificii altitudinem explorare ſufficit; ſecundo autem tertioue a conceptione menſe, duae ſaltem digiti phalanges in vaginam demiſſae optime illud attingere valent. Verum non omnibus eadem eſt ceruicis naturalis diſtantia, altiori aliis orificio, aliis profundiori. Quare conſtans ſignum haberi nequit, niſi orificii naturalis altitudo iam antea cognita fuerit; quin & fallere poteſt omnis habitus corporis praeternaturalis, vagina breuior, eiusque prolapſus, orificium vteri ſecum trahens; hydrops, vterum deorſum premens,

(r) Gallis inde dicere moris eſt: *qu'en ventre plat enfant y a.* vid. MAVRICEAV *Tom. I. Lib.* I. *Cap.* III. *pag.* 69. BOESSEL *Grundlegung zu der Hebammenkunſt pag.* 18.

mens, tympania, ſeu aëris in inteſtinis morboſa reſolutio, qua vterus inferiora petere cogitur; vteri denique prolapſus cachexia laborantium, propter fibrarum laxitatem omnium frequentiſſimus affectus & alia.

§. XLI.

Elapſis his, embryonis incrementum ſequitur vteri, nunc extra peluim haerentis, expanſio, hanc vero parili ratione abdominis intumeſcentia. Superiora verſus nimirum poſt tertium menſem vterus recedit, & peluim aſcendendo deſerens, abdomen inflat, illudque in dies notabilius expandit. Verum, quum morbis nonnullis abdominalibus, grauiditatem mentientibus, ſaepius eadem fere abdominis expanſio aliaque competant grauidarum ſymptomata, vt hoc nomine peritiſſimi etiam nonnunquam decipiantur, pro arguenda grauiditate circumſpicienda alia ſunt, quibus hoc abdominis incrementum diſcernitur. Tumor enim continuatus eſſe debet, pedetentim magis magisque increſcens, adeoque

conſtans, nunquam vagus vel remittens; aequabiliter aſſurgens, & verſus cordis ſcorbiculum ſenſim aſcendens, plenus, non vacuis penitus hypochondriis, ſed tenſis: quae omnia vt optime conſtent, viſus vnicus teſtis eſſe nequit, ſed tactus ſimul confirmet oportet, vt externa & hic loci de internis teſtentur. Ipſam huius actus rite inſtituendi rationem huc transſcribere non abſonum putaui. *Femina ieiuna*, diſſerit Ill. ROEDERERVS: *vrinam & aluum deponat, ſupina cubet, lumbis depreſſis, capite pedibusque eleuatis, calcibus ad nates retractis, ita vt abdominis regio laxetur. Tunc medicus abdomini palmam imponat transuerſam, auricularem digitum verſus os pubis tendat, pollicem ex aduerſum ad vmbilicum. Valida reſpiratione femina abdomen concutiat, atque medicus ſub ipſo exſpirationis niſu idem leniter imprimat. Quodſi eo momento duram, globoſam, atque ſuper oſſe pubis haerentem reſiſtentiam tangit, de vtero tumido certus eſſe poteſt. Sicubi vero alius tumor abdomen eleuat, alio loco is*

de

deprehenditur, vel & totam abdominis regionem aequalis atque perpetuus quidam tumor occupat (*s*). Quae exploratio in macilenta femina bene ſuccedit (*t*).

§. XLII.

Reſtat ex optimis notis foetus in vtero materno motus, verae grauiditatis teſtis omni maior, quique prioribus adnumeratus, vltimum quaſi pondus addit. Incertum quidem tempus eſt, quo primum mater foetus ſui exiſtentiam atque

 vitam

(*s*) vid. *in Element. art. obſtetric.* §. 150. *pag. 66.*

(*t*) Conf. *Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent. III. Obſ.* 74. & WEITBRECHT *Comment. nou. Acad. Petrop. Tom. I. pag.* 340. deſcribit hydropem ouarii, & quomodo tumor inde natus a grauiditate diſtingui poſſit. Nempe tumor vteri grauidi aſcendit ab ipſo oſſe pubis verſus vmbilicum; ſed in cadauere feminae, quae hydrope ouarii laborauit, tumoris centrum vmbilicus erat, & tumor medius ſolitarius tanquam foſſa quadam cinctus, ita vt in hypogaſtrio & ſuper pube fouea profunda fuerit, neque immediate ſuper pubem haeſerit. Caſus etiam mentionem fecit Ill. ROEDERERVS ſibi viſi, quo tumor quidem mox ſuper pube, ſed motus fuit ex vno latere in alterum ſua ſponte & plura ſymptomata morboſa iuncta.

vitam percipit. Primis enim menſibus foetus multo amnii liquore innatat, quo etiam tempore, cum non niſi mollioribus adhuc membris inſtructus ſit, vel nullum, ſaltem non adeo perceptibilem edit motum, ſenſim vero robuſtior, parciori liquoris copia comprehenſus, artubus ſuis ad domicilii ſui parietes impingit, matri moleſtus fit, quin imo, vehementioribus tandem motibus dolore inimicus. Plerumque vero primam ſui agitationem matrici medio grauiditatis termino communicat, vnde etiam computare matres conſueuerunt, quot adhuc pariendi temporis illis reſtet (*u*); ſed male quidem, quippe ocyus aliae, aliae ſerius primum embryonis motum ſentiunt (*x*), quae temporum diſcrepantia erroribus matrum & neglectae feminarum otioſarum attentioni tribuenda procul dubio videtur. Medius enim terminus inter decimam nonam vigeſimamque ſecundam hebdomadem, repetendo cal-

(*u*) Conf. Ill. ROEDERERI *diſſ. de temporum in grauiditate & partu aeſtimatione §. III. pag. 3. & §. XV. pag. 29.*

(*x*) vid. EIVSD. *laudatae diſſert. Tabulae paginis* 6. 7. 8. 9. 10.

calculum a partu ad primam motus perceptionem, cadit (*y*), atque ſi iuſto citius nonnullae motum iſtum ſenſiere, inde forſan factum eſt, vt quamlibet abdominis agitationem, ſaepe alienam ſatis motui foetus, iſtum eſſe putauerint.

§. XLIII.

Ergo ante tertium menſem certum grauiditatis ſignum tradi temere nequit; quae enim de vteri deſcenſu, ventris complanatione, menſtruis ſuppreſſis, mammarum tumore aliisque dicta ſunt, omnia decipere medicum poſſunt, nec niſi probabilia haberi debent, quippe grauiditatem aemulantium morborum communia ſymptomata ſunt. A tertio ad omnes ſubſequentes vsque menſes exploratio fide certiora docet, atque non ſine ratione inſtituitur. Quodſi enim tunc, omnibus ſucceſſiue relatis phaenomenis, menſium, mammarum, abdominis, motus embryonis, reſpectu,

(*y*) Teſtantur hoc quam plurimi ex diſſert. paulo ante citata, obſeruationum noſocomii noſtri tabularum numeri, quin quantum ego illis interfui, id fere ſemper hac ratione repertum fuit.

ſpectu, vteri ſtatus accomodatus & conueniens accedit, ſucceſſiua, quod praecipuum eſt, ſymptomatum morboſorum, ſi quaedam adfuerunt, remiſſione, vehemens omnino geſtationis ſuſpicio eſt.

§. XLIV.

Quinto demum, & poſt quintum menſem, ſigna ceruicis & mutati orificii vterini optime petuntur. Vterus ſuperior paulo quam eſt peluis ſuperior apertura, fere in axi eius locatur, & antequam venter ſubſideat, orificium digito asſequi vix licet. Vteri autem orificium tunc tangitur mollius, craſſius, quod antea durum erat & quaſi cartilagineum, vna cum ceruicis tumore. Sub initium vero ſeptimi menſis eoque medio optimum ſignum innoteſcit, caput infantis mobile digito exploratoris ita offertur, vt impulſui illud facile cedat, moxque relabatur, quod phaenomenon aſcenſus deſcenſusque alternas viciſſitudines ſeruans, luſus inſtar aliquoties iteratum ſatis iucundum eſt, aliquot vero ante

partum

partum hebdomatibus capitis delapſi notabilius pondus eſt, pone peluis aperturam ſuperiorem figitur, illam explet, neque amplius tanta mobilitate gaudet, abdomen ſubſidet, & appropinquantis partus ſigna pediſſequa inſtant.

§. XLV.

Ex omnibus colligitur abdominis tumorem omni geſtationis tempore non eſſe eundem. Quo itaque de ſtatu grauiditatis medicus recte iudicet, ad ſequentia momenta attendat, neceſſe eſt. Sexto menſe vterus inter os pubis & vmbilicum aſcendit, ſeptimo ad ipſum vmbilicum; octauo mediam inter vmbilicum & ſcrobiculum cordis regionem occupat, vsque dum nono demum menſe ad ipſum hunc ſcrobiculum contingat. Quoties vero venter propendet (z), eadem ex eiusdem altitudine, niſi ſimul ad deceſſum reſpiciat, aeſtimatio non valet.

SE-

(z) de quo argumnto conf. MAVRICEAV paſſim.

SECTIO III.

§. XLVI.

Morbi, qui grauiditatis aliquam ſpeciem aemulantur, ſuisque ſymptomatibus Medicos aeque decipere poſſunt, ac matres frequenter ſpe deſtituunt, ſunt menſtruorum praeternaturalis ſuppreſſio, a vitio maxime genitalium locali, vteri, vel vaginae: Hydrops, & tympanites, tam abdominis, quam ipſius vteri.

§. XLVII.

Quoties vterus imperforatus eſt, validior membranula vaginam praecludit, vel tumore quodam praeternaturali illa laborat (*a*) ſeu alio, quocunque, menſtrua retinente, malo afficiuntur genitalia (*b*), quibus fit, vt illorum vtriusque generis intercipiatur via, & menſtruorum riuuli ſiccentur; toties fere, menſtrui ſanguinis itinere praepedito, phaenomena oboriuntur, grauida-

(*a*) Conf. §. diſſert. V. pag. XVIII. ſeq. cum notis (*t. x. y.*)

(*b*) it. §. X. pag. XXXII. not. (*e*) &c.

darum ſymptomatibus haud multum aberrantia. His omnibus menſtruorum periodis maior ſanguinis portio congeritur, vterum grauans, eumque diſtendens, quibus integumenta mox in mali conſortium trahuntur, abdomen expanditur, inflatur cum notabili duritie. Praeter affectiones ex hyſtericarum genere, ſpasmos aliaque, digeſtio deprauatur, vnde tot viſcerum chyli officinae vitia, appetitus irregularis, deficiens vtplurimum cum nauſeis, vomendi conatibus, quin ipſis ex ordine vomitibus oriuntur. Temporis ſucceſſu mammae intumeſcunt, imo preſſae ipſum humorem nonnunquam (eiusdem fere, qualis grauidarum eſt indolis) fundunt (*c*): Nec aliae interdum deſunt verae geſtationis notae, vt ipſum motum embryonis ſenſiſſe quaedam ſibi perſuadeant, atque adeo ſumma grauiditatis ſuſpi-

(*c*) Quam ſententiam annuit HIPPOCRATES *Sect. V. aphor. 39. „ſi mulier, quae nec praegnans eſt, nec peperit, lac habeat, ei menſtrua defecerunt.* Conf. etiam DIONIS *Trait. general des accouch. Lib. II. Cap. I, pag. 123.* MAVRICEAV *Tom. I. Lib. I. Cap. VI. pag. 92.*

ſuſpicio ſit: quin maior adhuc, quibus ipſa partus molimina, dolores quaſi ad partum accedunt (*d*). Verum niſi alia vel moralia diſſentiant, quibus vel ſpei vel ſuſpicionis multum profligatur, niſi menſtruis ſuis periodis valetudinis ratio dubiam rem iudicet, ventris demum inſpectio, &, ſtudioſa vteri exploratio, (non neglectis circa vteri incrementum cautelis §. LXI. traditis) omnem facile litem finiet.

§. XLVII.

Ipſa etiam morboſa, (*e*) vel ob aetatem decrepi

(*d*) Ipſas has notas non infrequentes eſſe, plures teſtantur obſeruationes apud DE LA MOTTE *Traité complet des accouchem. Lib. I. Cap. VIII.* DIONIS *Traité general des accouch. Lib. II. Cap. I. pag.* 127. MAVRICEAV *Tom. II. Obſ.* 275. *pag.* 227.

(*e*) eius rei memorabilis hiſtoria exſtat in *Com. Litt. Nor. an.* 1734. *hebd. I. pag.* 2. feminae cuiusdam XXIV. annorum. Haec poſt primum puerperium menſium fluxu laborat inordinato, mox penitus ſufflaminato; interim bona methodo ita tractatur, vt duae menſtruorum periodi iuſto ſtatoque tempore recurrant; ſed poſtea denuo ſupprimuntur, venter

crepitam naturalis menſtruorum ſuppreſſio (§. XIX.) paria fere producere valet (*f*). Eiusmodi vero vtriusque generis feminae ex corporis diſpoſitione & habitu, aetate, humorum praecluſorum fluctuatione, ſuperuenientibus haemor-

venter & mammae intumeſcunt, ſanitas optima (quod mirum) ſuperſtes eſt. Hinc omnes grauiditatem ſubeſſe putant, tantoque magis, quum medio geſtationis tempore motum ſibi percipere viſa, imo a vetulis adminiſtris perſuaſa eſt, quod ipſum ſitum foetus vel manibus palpare manifeſte liceat. Sed euentus alia plane docuit; plura enim accedunt incommoda, artuum grauitates, praecordiorum anxietates, & haemorrhagia tandem vteri cum virium proſtratione: adhibitis debitis medicamentis paululum omnia remiſere, niſi quod quouis menſe fluxus vterinus eadem copia redierit: tandem elapſo decem menſium ſpatio cum motu ſenſim euaneſcente, euanuerunt omnia, & ipſa quamuis molae latentis omnium eſſet ſuſpicio, certiſſime nihil quicquam, quod carnoſum aut membranaceum concrementum referret, cum ſanguinis per vterum concuſſionibus excreta eſt, ſed adhibitis dein conuenientibus remediis poſtea bene valet. Conf. it. MAVRICEAV *Tom. II. Obſ. 255. pag. 212. Obſ. 579. pag. 487. & Obſ. 675. pag. 550.* quibus ſimiles fere referuntur caſus.

(*f*) Obſeruationes legi poſſunt apud DE LA MOTTE *Lib. I. Cap. VIII.*

morrhagiis, abdominis duritie, eiusque inflationis ſingulari ratione, orificii vterini attenta exploratione, citra omnem ſignorum aliorum perſuaſionem, haud difficile diiudicantur.

§. XLVIII.

Hydrops & tympania analogi propemodum morbi ſunt, eorumque ſymptomatibus, mutatis mutandis fere eadem ſpecie, niſi totum grauiditatis ſchema notum ſit, facile decipientes (*g*), vt certiſſime tantae ſignorum ſimilitudini confidentes, fallantur, qui horum etiam morborum ſigna pathognomonica neglexerunt(*h*), quorum tamen cognitione firma rite imbuti ſint, qui chirurgiam colunt, neceſſe eſt, ne forſan revera grauidam putent hydropicam, & hoc nomine ignominiae maculam ſibi inurant, (*i*) tantoque magis, quum hydropicae

VIII. Obſ. XIX. XX. & XXII. *pag. 48. ſeq.* & *Obſ.* XXI. *ibid.* quo caſu ipſe, cum femina motum ſatis validum vel manibus percepit, dolores ſimul, illorum ad partum non diſſimiles obſeruauit. vid. etiam, MAVRICEAV *Tom. II. Obſ. 369. pag. 306. & Obſ. 566. pag. 468.*

(*g*) Conf. §. Diſſert. IX. cum not. (*d*).

(*h*) Caſum refert MAVRICEAV *Tom. I. Lib. I. Cap. VI. pag. 95.*

(*i*) *in Commer. Litt. Nor. an. 1731. ſpecim. XV. pag. 117.*

im-

picae ipſae non deſint interdum, quamuis rarius, quae in vtero concipiant (*k*).

§. XLIX.

In hydrope vniuerſali, anaſarca, vbi ſub cellulosa tela per omnem corporis ſuperficiem effuſa eſt aqua, facile diſcrimen petitur. Expanſi totius abdominis tumor aequalis eſt, mollis, vmbilico retracto, quaſi in ſcyphi conici formam mutato, & digitorum preſſio foueas relinquit ſub-

imperiti cuiusdam chirurgi mentio fit, qui matrem trigeminis grauidam pro hydropica habuit, quique, vt cultello abdomen aperiretur, quo ſerum hydropicum emanaret, puniendum dedit conſilium. it. *Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent. V. Obſ. 67. pag. 114.*

(*k*) referente MAVRICEAV *T. I. Lib I. Cap. III. pag. 73.* cuius hiſtoriam vlterius proſequitur *Tom. II. Obſ. 70. pag. 59.* quatuor ſcilicet durante ipſo morbo peperit liberos. Analogum caſum feminae cuiusdam hydropicae trium infantum matris legimus *ibid. Obſ. 249. pag. 204.* conf. etiam PHIL. PEV *Pratique des accouchemens Cap. XI. pag. 119. ſeq. Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent. I. Obſ. 44. pag. 112. Medical Eſſays Tom. VI. pag. 137.* VANDERMONDE *Recueil. febr. 1756.* IOH. PHIL. BERKELMAN *de hydrope aſcite in grauida cum febre quartana coniuncto. Gieſſae 1753.*

ſidentes. Quas corripit hic morbus, iis plerumque pedes primi tument, femora dein, tandem abdomen. In grauidis vero hic ordo peruerſus obſeruatur; grauiditatem enim pedum tumor poſt iam tumidum abdomen prodit. Hydropicis vrina rubella eſt, eoque magis, quo maius incrementum ipſe morbus capit, (phaenomenon facile explicatu) grauidis vero citrina. Hydrope laborantem feminam prae grauida vehementior ſitis vexat. Hydrops nunquam ſymptomatibus morboſis caret, eaque ſimul ſumta pro morbi incremento quotidie fere exaſperantur, (mammae ſimul decreſcunt, flacceſcunt, neque lympham, neque ſtrias lacteas fundunt) ſi contra quaedam adfuerint facta conceptione, illa ſub geſtatione, niſi penitus diſpareant, ſaltem imminuntur; vteri enim geſtatio ſummum ſaepe reuellens eſt. Aſcitidem melius vix dignoſcimus, quam ſi ad latera applicatis manibus, concutiendo vna, liquoris incarcerati fluctuatio percipitur; Aegrae de moleſto in regione oſſium pubis pondere conqueruntur, ipſa moles, in quod-

cun-

cunque femina incumbit latus, eo dirigitur. Quodſi vero quoddam ſaltem viſcus hoc morbo laborat, vt peculiari cyſtidi aqua incluſa ſit, neque fouea imprimi poteſt, neque fluactuatio percipitur, pedesque vix fiunt tumidi, hinc vnicum explorationis artificium (§. LXI.) hanc ſpeciem diſtinguat. In tympanitide abdomen aequaliter tenſum eſt cum duritie, preſſum dolet, elaſticum foueam non admittit, quin protinus exſurgat, contrectatum potius ſonum edit, coniuncta ſunt multa variaque ſymptomata. Quoties demum hydrops, vel abdominis tympanites cum grauiditate vniuntur, toties vteri exploratio grauiditatem dignoſcat.

§. L.

Conceptus ſpurii aquam (*l*) vel flatum (*m*) in

(*l*) Caſum vid. in *Commerc. Litt. Nor. an.* 1734. *hebd. IX. pag.* 68. it. DE LA MOTTE *Trait. compl. des accouch. Obſ. XVI. pag.* 42. & alibi paſſim.

(*m*) Conf. *Ephem. germ. D. I. an. VI & VII. Obſ.* 45. *pag.* 79. DE LA MOTTE *Lib. cit. Obſ. XVIII. pag.* 45. & alibi paſſim. varias conceptuum ſpuriorum ſpecies collectas vid. in *Ephem. germ. D. I. an. I. Obſ. I. pag.* 11.

in vtero nunc maiori nunc minori copia comprehendunt, aeque ac molae cognitu difficillimi ſunt, nunc ſimul & ſemel cum ſtrepitu & fragore (*n*), nunc ſenſim & per interualla prorumpunt, quin inſenſibiliter nunquam eliminantur (*o*), atque illo feminae beneficio fruuntur, quod tempeſtiue vtplurimum & citius, quam eſt terminus pro foetu, excernantur: raro ipſis membranis oui inſtar incluſi ſunt (*p*), quo caſu verum partum mentiuntur; veſica enim dolorum vi compreſſa, vel integra exteriora verſus protruditur, vel disrupta aquas fundit, ſed edendi foetus vana ſpes eſt.

(*n*) Conf. MAVRICEAV *Tom. II. Obſ. 110. pag. 90.*

(*o*) vid. *Ephem. Germ. D. II. an. II. Obſ. 138. pag. 306.* Paſſa eſt vomitum, nauſeam, horrorem. Venter intumeſcebat, motus aderat ſatis fortis. Sed accedit tempus pariendi cum cephalalgia, cardialgia, extenſione abdominis dolorifica, anguſtia pectoris & metu ſuffocationis, & applicatis internis externisque omnia euaneſcunt, ſpesque pariendi cum prole aufugit.

(*p*) de quo DE LA MOTTE *Lib. cit. Cap. VII. Obſ. XVII. pag.* 44.

J. Baart de la Faille
Med. Prof.
GRONINGEN.